COMITIS DE FLISCO DECAS DE FATO, ANNISQUE FATALIBUS TAM HOMINIBUS QUAM REGNI MUNDI

Maurizio Fieschi, Johann Philipp Thelott





AA
V



COMITIS
DE
FLISCO
DECAS
DE FATO,
ANNISQUE FATALIBUS
TAM HOMINIBUS
QUAM REGNIS MUNDI.



FRANCOFURTI.
Apud JOANN. BAPTISTAM SCHÖNWETTER.

M. DC. LXV.




I. Philipp. Thelott. Sculp. Francfur
MAVRITIVS COMES FLISCVS

REGI REGUM,

DEO TRINO ET UNI,

CREATORI MEO INCOMPREHENSIBILI,

JUDICI, ET VINDICI SCELERUM NOSTRORUM,

PATRI MISERICORDIÆ,

REDEMPTORI, ET LIBERATORI MEO
A MANIBUS SATANÆ,

ET IN TERRA POTENTUM

VERÆ SAPIENTIÆ DATORI,

Cui ſit Laus, Gloria, & Honor in Secula:

Hos humanæ Sapientiæ (apud Te) Stultitiæ Fructus,
Otiorum noſtrorum in hac Miſeriarum Valle peſſimas
Occupationes, improboſque Labores toto Tibi
corde proſtratus

DIVINÆ TUÆ MAJESTATI

Humiliter ſacro

Vermis terræ

Ego Homo.

SOLERTI RERUM RECONDITARUM INDAGATORI.





Um essem annorum viginti, hujus verò seculi 1655. scripseram perbreve Opusculum, quod Romæ primò, postea alibi missum fuit, cui fuit titulus, An Respublica Veneta anno 1656. sit passura imminentes Italiæ calamitates, maximèque de Peste. *exitumque habuisset veritate successuum comprobatum tum in peste Neapolis, Romæ, & Genuæ, tum in morte Principis Venetiarum Caroli Contareni; tum in Mundi Revolutionibus, hocque typis non fuit consignatum: quare in gratiam Magnatum, aliorumque Amicorum altiora propalare coactus improbo labore construxi Opus hoc de* Fato, *quod in manibus cujusdam Principis emortuum ab anno 1658. usque adhuc remansit, non sine spe editionis; causas non aperio* Lector, *quia te stomacho bene valere cupio, solum hoc te non ignorare volo, quod aures præbuit precibus quorumdam, qui scrupulis tentantur, ultra non addo; cùm autem multi efflagitarent quidnam esset de hoc Opere, coactus Opusculum scripsi* De Mutationibus Sectarum, Imperiorum, & Regnorum Mundi, *Lugduni impressum anno 1662, hoc specioso titulo,* Monarchæ Futu-

ro, *quod utinam ab eo abstinuissem, non fuisset tantus de me rumor, & Principum indignatio. Secundum edidi de* Parœmia Pontificum, Non videbit dies Petri. *anno 1663. Tertium* De Fato Austriaco. 1664. *hæc tria Opuscula ferè tota in hoc Opere continentur. Primum & Tertium in Sphæra Prima. Secundum in Decima, & Tertia: hoc autem Opus non est idem cum Primo, quod jam scripsi, sed pene novum, nam multa delevi, mutavi, & auxi: fateor tamen in Sphæra Decima multa mutasse, ne de me major oriretur rumor, de eo, qui est oriturus.*

De Fato *ergo est Opus.* Decas *verò Operis Fatum continet, sine enim ipsa nihil tradere potuissem, cum sit janua ad omnes scientias, hac enim duce per Numerationes Microcosmicas ad Archetypum pervenire poteris bene percepto Cabbalistico Arcano, Objectum transire in Diaphanum, unumque in aliud, usque ad Mentem, quæ transit in lucem illuminans totum hominem & illuminatum in se transformat. Huic rei triplex est status: in Primo cessat corpus, & incipit Anima, unde vocatur Animal: in Secundo cessat Anima, & incipit Ratio, & appellatur Homo: in Tertio cessat Ratio, & incipit Mens, & dicitur Deus, vel Homo Deificatus. Sic unicuique statui suus præest Angelus, nempe* Sechel, Sandalphon, & Mettatron. *Hoc iter ad superos, quod ut melius assequaris Currum Sephiristicum tibi paravi, in quo Decem Dei Nomina Paradigmatica inveniuntur, hoc ingredere, & fies voti compos.*

In Sphæra ergo Decima agitur de Deo, de Creatione Angelorum, Cœli, Terræ, & Hominis, estque, ut alter Berehscith, introduciturque Fatum *in Hominis casu, ipsumque post Animam, Spiritum habere, quo sine Anima vivere possit, scientiâ Cabbalistico-magicâ probamus; hac occasione aliqua de Magicis percurrere placuit.*

In Nona, quid sit Fatum, explicamus, & quotuplex.

In Octava, Fatum in Hominis ortu viginti Geniturarum Exemplis comprobatum ostendimus, & sic fere tota Ars Genethliaca traditur, hocque vocamus Fatum Microcosmicum Internum.

In Septima, Fatum hominis externum demonstramus per Physiognomiam, Metoposcopiam, & Chyromantiam.

In Sexta, Fatum in Mundo per Prodigia, & Ostenta demonstramus.

In Quinta, Fatum esse in Numeris probamus.

In Quarta, Annos Climatericos tradimus, sed nova doctrina, quomodo verò in hominibus effectus pariant duodecim Geniturarum Exempla adducimus.

In Tertia, occasione capitis antecedentis Annorum Fatalium, quærimus an his datis vita hominis longior produci possit, vel his superatis sit terminus vitæ præscriptus. Res est Astrologica, continens octo Geniturarum Exempla, Medica, & Theologica.

In Secunda, Fatum esse in diebus probamus, hac occasione de Diebus Criticis Medicorum agitur.

In Prima, Fatum in Regnis, & Rebuspublicis esse demonstramus, primò per Causas Cœlestes, quas ex Syderum Choragiis, & Planetarum Panochlia desumpsimus (ubi de Cometis usque ad annum 1665.) postea per Numeros Platonicos; deinde Romæ Fatum examinamus occasione Novi Vaticinii Anglicani, estque totius Operis complementum.

Non accedas ergo, quisquis es, scrupulosus, mente languidus, abecedarius, nam scripta hæc venenosa sunt, superstitiosa vetitas artes continent, hæresim sapiunt, recede, recede: non enim scripsimus tibi, sed Viris emunctæ naris.

Hortus amœnus, Erudite Lector, *est liber noster. Flores undique, fructus ubique inveniuntur. Rosas non sine aculeis Natura gignit: inter Vegetabilia etiam mortifera reperiuntur venena, sed non sine* Anthora Napellus. *Fides Alexipharmacum erit, si forsan aliquarum opinionum apparuerit venenum. Scientias non solum, quæ vagantur, propalo, sed abstrusa Magicarum Arcana: audi tamen scientiam mali non esse malum, sed usum; scripsit enim Apostolus, Omnia probate, quod bonum est, tenete. Novas invenies sententias, quas non propono credendas, sed curiosè legendas, & examinandas. Ingenium, quod per cuncta vagatur, conspicies, traditus enim est mundus disputationibus. Memento tamen litteram occidere, spiritum verò vivificare.*

In hoc tamen te monitum volo, me à nullo in his edoctum fuisse, præter pauca, quæ leguntur in Scholis, quæ testor Deum audivisse, sed non intellexisse, hæc verò adeptum esse Numine faven-

favente, Genio adjuvante, & improbo coadjuvante Labore, hæcque omnia non ignorabam anno ætatis meæ decimoseptimo, quo tempore Laurea mihi imposita fuit; hoc autem dico, ut si aliquid tibi ex æquo non respondeat, aut alicubi erratum sit, vel liberius dictum, ignoscas ætati, hoc enim est Opus Adolescentiæ meæ, quod paululum nunc castigare, immutare, & augere volui, non verò totum innovare, & prælo committere, ut complacerem curiositati multorum, qui hoc opus avidè expectant, Vale ergo tu, & meliora expecta si Deus longævum mihi largiri dignabitur vitæ cursum.

MONAS.

PATER

EHEIE *CORONA*

MENS

ELECTI

EMPIREUM

SPHÆRA DECIMA.

DEUS, ANGELI, HOMO.

DAri ens infinitum, causam primam rerum omnium, à quo cætera dependent, nunquam fuit à mentibus Sophorum non concedere alienum, solùm insipiens dixit in corde suo, non est Deus, quod expressit Avicenna, etsi ethnicus, his verbis; quicumque Deum, aut Numen non agnoscit, non tantum ratione caret, sed etiam sensu: & Cicero de natura Deorum lib. 1. Quid enim potest esse tam opertum, tamque perspicuum, cum Cœlum suspeximus cœlestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod Numen præstantissimæ mentis, quo hæc regantur? esse igitur Deos perspicuum est, ut id qui neget, vix eum sanæ mentis existimem; & Arist. 2. Metaph. contingit aliquid dare secundum speciem, quod simul movet, & movetur, & aliquid, quod tantum movetur, ergo erit dare aliquid, quod tantum movet, & non movetur.

Datur ergo Deus, quem confiteri non cogimur aliqua opinione seducti, vel timore perterriti, sed ipsa rei veritate, cordisque intimo affectu nobis innato eum prosequi à natura docemur, & sicuti ipsum amore veneramur, ita ipse amore gubernat omnia.

Nonne vides operum, qui se pulcherrimus ipse
mundus amore ligat, nec vi connexa per ævum
conspirant Elementa sibi? qui limite Phœbus
contentus medio, contentus littore pontus,
&, qui perpetuo terras ambitque, vehitque,
nec premet incumbens oneri, nec cesserit aer.

Atheistarum verò deliramenta in se ipsis franguntur, cum credant omnia fortuito facta esse: sed si fortuito facta sunt, necesse est, ut sit aliquod principium, quo fortuito facta sint, quod negare de manifesta insania redoleret; principium enim est pars temporis, ergo facta sunt in tempore, necesse est ergo, ut detur aliquis, qui confecit temporis partes, ipsumque principium, in quo facta sunt, etsi fortuito: & hoc est principium sine principio, quod est Deus.

Quid verò sit iste Deus, nondum cognosci potuit; Thales enim Milesius interrogatus, quid esset Deus, respondit, quod principio, & fine caret: Simonides à Hierone Tyranno interrogatus, quid esset Deus, deliberandi sibi unum diem postulavit, & quum idem ex eo postridie quæreretur, biduum petiit, & cum ita sæpius duplicaret numerum, admiratus Tyrannus cur ita faceret, inquit ille, Quanto diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior. Attalus Christi Martyr insignis interrogatus à Tyranno per contemptum, quod Nomen Deus haberet? Qui plures sunt, inquit, nominibus discernuntur, qui autem unus est, non indiget nomine; hinc à Macrobio refertur, quod Plato, cum de Deo loqui esset animatus, dicere quid sit non est ausus, hoc solum de Deo sciens, quod scire qualis sit ab homine non possit; hinc Lactantius libro de Ira Dei inquit, Deus tantus est, ut ab homine non possit aut verbis enarrari, aut sensibus æstimari; & S. Hieron. in Epist. 1. Deus, secundum quod definire potest humana mens, naturæ ipsius, vel substantiæ, quæ est super omnia, appellatio est; & alibi: Una est Dei sola natura, quæ vera est, ad id enim, quod subsistit, non habet aliunde, sed suum est; cætera, quæ creata sunt, etiamsi videntur esse, non sunt, quia aliquando non fuerunt, & potest rursum non esse, quod non fuit: Deus solus, qui æternus est, hoc est, qui exordium non habet, Essentiæ nomen verè tenet; Plato verò in Thimæo, Deus est summum bonum supra omnem substantiam, omnemque naturam, quod cuncta expetunt, cum ipse sit plenæ perfectionis, & nullius societatis indigus; & Arist. Metaph. 1. Deus videtur omnibus esse causa, & 2. primus Motor est actus purus sine omni potentia, substantia sine omni accidente, simplex sine omni compositione; & S. Greg. Homil. 17. super Ezech. & 2. Moral. Deus manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse super omnia, ipse infra omnia: superior est per potentiam, inferior per substentationem, exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem, sursum regens, deorsum continens, extra circumdans, interius pe-

netrans; & in lib. 16. Moral. Creator omnium Deus Pater Omnipotens ubiq; est, & ubiq; totus est, in parte non est, quoniam ubique est, & tunc minus invenitur, quando is, qui ubiq; totus est, in parte quæritur: Fatetur S. Thomas Aquinas inveniri non posse certam definitionem Deo convenientem, unde Trimegistus in lib. de pietate, & philosophia inquit; quid Deus? immutabile bonum; & in lib. quod immanifestus Deus manifestissimus sit; Carens enim invidia Dominus apparet per omnem mundum, si verò ipsum vis videre, cogita Solem, cogita Lunæ cursum, cogita astrorum ordinem, quis est ordinis servator?

De Deo ergo nulla est definitio essentialis, sed descriptiva solùm, non enim potest intellectus humanus de non visibili comprehendere visibilitatem, hinc rectè dixit Hermes; non est audibilis, neque dicibilis neque visibilis oculis, sed mente & corde; sic Salvator Noster Christus sciscitantibus discipulis, quid esset Pater, inquit, nullus cognovit Patrem præter Filium, si vultis videre Patrem, videte me, Ego enim sum in Patre, & Pater in me est; amen dico vobis, non jurare omnino neque per Cœlum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum est pedum ejus: Usque adhuc Deus est, quid sit, nescimus: Quotuplex sit, speculabimur.

Ex dogmatibus Assyriórum per Psellì expositionem habemus: post unum paternum dicunt profundum ex tribus Triadibus repletum, singulas autem Triadum habere Patrem primum, deinde potentiam mediam, & mentem ad hæc tertiam, quæ claudat Triadem in se ipsam; ex his colligitur ex Porphyrio fuisse Platonicorum opinionem, tres esse in Deo personas, primam ergo Patrem universitatis, secundam Filium, & mentem primam, & tertiam Spiritum, quem intellexerunt per animam mundi: ex Oraculis verò Zoroastri, Toto enim in mundo lucet Trias, cujus Monas est Princeps, & Hermes in Asclepio, Deus meus atque Pater mentem aliam sibi opificem peperit, & alibi, Monas gignit Monadem, & in se suum reflectit ardorem, & in lib.

lib. de regenerat. & silentii profess. Alius est genitus Deus Dei filius; & paulò post. Dic mihi & hoc, quisnam generator regenerationis est? Dei filius homo unus voluntate Dei: & Cicero: Deus est unus, non ut plurimi censent extra administrationem mundi, sed totus in toto; & Philotæus: Unus est Deus Princeps universi, qui semper est singularis, immobilis, & sui similis; & Arist. 8. Phys. Primus motor unus est & æternus, & 2. Metaph. Entia nolunt malè disponi, nec est bonum pluralitas principantium, unus ergo est Princeps; sed Simplicius perpulchrè locutus est; dicendum ante omnia Unum esse Deum, omnia regere, omnibus providere, quicquid vero faciamus, dicamus, cogitemus, nihil eum latere posse.

Confitentur ergo omnes Unum esse Deum, non plures, Tresq; esse Personas sibi invicem coæternas & coæquales, unam tamen naturam simplicem, unam essentiam & substantiam, sic Unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Unitate veneramur; cognoverunt hanc Personarum distinctionem non Christiani soli, sed ipsi Chaldæi, Ægyptii, Hermesque Termaximus Philosophorum Pater, qui fuit coætaneus Moysi, sed paulò senior clarè locutus est: hinc Lactantius Divin. Instit. lib. 2. cap. 9. protulit, quod perfecta est in homine sapientia, si Deum esse unum, & ab ipso facta esse universa cognoscat.

Datur ergo Deus principium sine principio, & est Pater: datur Filius, & Spiritus Sanctus, qui sunt principia ex principio, non verò principia ante principium: Pater à nullo fit, Filius fit à Patre, Spiritus Sanctus est in utroque; independens Pater, dependens Filius, ab utroque procedens Spiritus Sanctus; Potentia est in Patre, Sapientia in Filio, Virtus in Spiritu Sancto; sunt Tres in Personis, Unus in essentia, Æternus, Incomprehensibilis, Immensus, Infinitus, Pius, Justus, Misericors, Sanctus,

Non sua carminibus major fit gloria, nec quo,
ut major fiat, crescere possit, habet.

Antequam fuisset Cœlum, Terra, Homo, visum est

Omnipotenti, quasdam ſubſtantias ſeparatas, intelligibiles, Spirituales, incorporeas, æternas, ſui ſimiles procreare, ut ab ipſis veneraretur, coleretur, glorificaretur, & ut miniſtræ ſervirent ei, & vocatæ ſunt Angeli inter ſe non differentes ratione Naturæ Angelicæ, ſed ratione ſuperioritatis, dignitatis, & officii; hi quidem non ſunt creati ab æterno, ſed in tempore; ſed quomodo erat tempus, ſi æternitas, quæ in Deo eſt, & in Empireo, ut ſedes Dei excludit omne tempus? neceſſe enim eſt, ut ſi detur aliquid, quod fuit ab æterno, ſedeat in loco, qui fuit ab æterno, in principio enim creavit Deus Cœlum & Terram, ante hoc principium creati ſunt Angeli, principium enim eſt pars temporis, ante principium non eſt tempus ſed ævum; amplius creati ſunt in Empireo, ubi neque locus, neque vacuum, neque tempus.

Dicendum eſt, quod inſtans Creationis Angelorum non fuit tempus proprio modo ſumptum, nam inſtantis ad tempus nulla eſt proportio, ſed ut res aliqua, quæ creata ſupponitur, neceſſe eſt, ut habeat initium unde creata ſit: illud initium reſpectu creati eſt tempus, & per hoc differt Creator à creatura, Creator enim eſt principium ſine principio, creatura verò principium à principio, quia creata in tempore.

Creatis ergo Angelis differentia quædam poſita eſt inter illos, ita ut alius ſit ſuperior, alius inferior, unus magis inſerviat alicui rei, alius alteri, ut obſervavit Zacharias Propheta tempore, quo Deus voluit ſolvere populum Hebræum à captivitate Babylonis, vidit Angelum unum, qui addiſcebat ab Altiſſimo, poſtea ille quæ didicerat alteri Angelo communicabat, deinde iſte inferior docebat Prophetas; quod confirmatur ab Aug. lib. de cogn. veræ vitæ cap. 6. ſicut enim Luna ſtellas, Sol Lunam in claritate excellere cernitur, ſic quilibet ſuperior ordo Angelorum, inferiorem ab Angelis usque ad Seraphim, gloria, dignitate, claritate præcellere creditur: dubium autem eſt an creatio Angelorum fuit inſtantanea, aut ſucceſſiva, ita ut creatus ſit prius

prius unus, postea alius, & sic de singulis: dici potest, quod prius creatus sit unus, in quo reflectens Altissimus tanquam in Speculo suam pulchritudinem, gavisus posuit illi nomen Lucifer, non, ut somniant multi, quod tale nomen positum fuit, quia creatus est in principio Auroræ, & quod cecidit in die sexto; numquid in Cœlo necessitas est, ut lumen incipiat, si secundum Genesim in die primo dividitur lux à tenebris? sed quomodo fieri poterat hæc divisio, si nondum creata erant luminaria, quæ postea creata sunt in quarto die, & tunc incæpit Aurora, quæ est finis tenebrarum, & luminis Lunæ, principium autem diei præcedens Solem, numquid in Aurora primi diei creati sunt Angeli, & illa die creata sunt mundi principia? de his nihil meminit Genesis cum tantum dicat: In principio creavit Deus Cœlum & Terram; dictus autem Lucifer, quia ferebat lucem Dei, eratque tanquam speculum in quo Altissimi reflectebatur propria forma, & Imago, dictus est Lucifer, ut ferret aliis lucem; creatus est ergo hic primus Angelus, lætatus autem Deus de hac admirabili factura & pulchritudine, quamplurimos alios in instanti creavit, & posuit inter ipsos differentiam graduum, & dignitatis, aliumq; fecit majorem, alium minorem, alium minimum, unde constitutus fuit ab Altissimo admirabilis ordo in Triplici Hierarchia.

In suprema positi sunt Seraphim, Cherubim, & Throni; primi considerant virtutẽ Altissimi, secundi contemplantur bonitatem, Tertii considerant æquitatem; in primis Deus diligit, ut charitas, in secundis cognoscit ut veritas, in tertiis sedet ut æquitas: In media sunt Dominationes, Virtutes, & Potestates. Primi regunt officia Angelorum, Secundi imposita exequuntur, Tertii impediunt vires malorum; in primis dominatur Deus ut Majestas, in secundis agit ut virtus, in tertiis defendit ut salus: In Infima sunt Principatus, Archangeli, Angeli. In primis Deus regit ut Princeps, in secundis revelat ut lux, in tertiis emittit ut inspirans: Prima Hierarchia Divinæ Providentiæ ordinem contemplatur, & imperat, quod ab aliis venit exequendũ: Secunda concurrit ad

ea, quæ attinent tum ad ordinem Cœlorum, tum Orbis gubernationem, & aliquando agit. Tertia de inferioribus curat, & illas omnes actiones prohibet, quæ divinam legem perturbare possent. Sic, ut benè ab Altissimo constitutus Spirituum Intelligibilium & Incorporeorum ordo, allocutus est illos:

Pulcherrimum construxi opus, quod ab æterno in mente mea decrevi. Filii voluntatis meæ, Ego Pater Triunus vos non ex nihilo, sed ex Spiritu meo creavi, mihi omnia debetis, vos mihi filii, famuli, ministri; agere ergo ad vos grates attinet de hac nobili formatione; audite ergo arcana, quæ ante sæcula constituta sunt: fiet mundus, creabitur homo, quem ego propriis manibus ad Imaginem nostram formare intendo ex limo terræ, & infundam in eum Spiritum meum, ut imperet irrationabilibus creaturis, quæ sunt futuræ; pauca tamen aderit inter vos & hominem differentia, stat tamen in *Fatis æternis* decretum, ut homo peccet (de vobis autem quid sit futurum, post hæc apparebit) tunc autem me pœnitebit eum fecisse, necesse autem est, ut hæc fiant, ut Filius meus Unigenitus, quẽ ego ante secula genui, ipseq; est in me, & ego in ipso, nascatur ex homine sine homine, ex fœmina conjuge, tamen Virgine, quæ non contrahet maculam criminis originalis, sed ego potentiâ, quæ in me est, abscondam eam, ut non adscribatur inter conscios homines tantæ culpæ, ipsa enim erit Virgo sine peccato, antequam nascatur, & postquam nata erit, pariet sine homine filium mihi dilectum, in quo benè complacebo, eritque semper, tam ante partum, quam post partum Virgo, quod autem in illa erit, fiet de Spiritu Sancto, qui est in me, & Filio. Iste autem erit totius Mundi Redemptor, nam totã iram, quæ contra humanum genus scelerum plenum ex Justitia meâ provenire debebit, ille supra se ipsum tanquam jugum accipiet, & morietur in Cruce, ut liberet mundum à peccatis, vobis autem spectat eum tanquam me colere, venerari, & administrare; hæc Omnipotens, & post hæc discedens immiscuit se Potentiis.

Obstu-

Obſtupuêre omnes, & tanta admiratione correpti, ut nemo aliquid dicere audens, ſolùm inter ſe intuerentur; Lucifer ergo tanquam iratus ſic cęteros eſt allocutus: ad quid tantus ſtupor? ad quid tanta admiratio? audiſtis ne, & rectè percepiſtis arcana ab æterno? creabitur homo, naſcetur Dei Filius ex homine, homo futurus poſt nos inferior tam creatione, quam natura, ex inferiori, qui ſuperior eſt tam nobis, quam homini, naſci decrevit? nunquid Angelica natura noſtra evadet inferior? cur de noſtra Dei filius non orietur? tam ſublime eſt futurum hominum genus, tam nobile, tam admirandum, ut excellat noſtram naturam? ex limo terræ formatio ejus, nos ex ſpiritu ſolo: nunquid ſpiritus nobilis cum ignobili materia commiſcebitur? ſi ex ignobili materia, ut cęteri homines futuri, naſcetur Dei filius, nos qui ex ſpiritu ſolo creati ſumus ſuperiores, illique ſublimes evademus; ſi ſuperiores, quomodo inferiorem venerabimur? quid vobis videtur? non ne res extranea, non ne inaudita, indicibilis, incredibilis? mihi creatione cunctorum primo, ex neceſſitate & officio Principi, tum auctoritate, tum potentia inſigni, pulchro Dei ſpeculo illiusque Imagini conveniet adorare Deum hominem? ſi mihi; is tanto magis vobis; audite ergo ſocii, accedite ad me, veſtra cum mea ſit una voluntas, contemnamus hæc, ne fiat fabula apud futuros homines riſu digna: In Cœlum ergo conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis, aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo; his verbis ſubriſit Michael Archangelus, & cõverſo riſu in iram propter temeritatem Luciferi hæc inquit: inſanisne Lucifer? inſanis. Dicere audes te aſſimilari Altiſſimo? creatura es, vis in Creatorem evadere? inobediens factus, tumidus, elatus, atque ſuperbus Deum nolis agnoſcere ut Dominum? iraſceris de Incarnatione Filii, quia ex Angelica natura corpus aſſumere non vult? nunquid ſervus major eſt Domino ſuo? vis imperare Altiſſimo? eras tu, quando hæc ſtatuta ſunt, ſi ſunt in mente Dei? vix creatus Patrem non agno-

ſcis? hæc ſunt, quæ debes Deo? ad quid credis, quod ex homine naſci vult, & non ex nobis? non ad aliud, niſi ut cognoſcat homo, quantum debeat Deo ſuo, qui vult fieri ei ſimilis, nam per ipſum in cruce morientem fiet hominis redemptio. Ego quidem ſemper Deo obediens ſimul cum Sociis meis adorabo, venerabor & adminiſtrabo ei. Quo dicto, factum eſt prælium magnum in Cœlo; Michael & Angeli ejus præliabantur cum Lucifero, & Lucifer pugnabat & Angeli ejus, & non valuerunt, neque locus inventus eſt amplius eorum in Cœlo: hoc autem bellum factum eſt imperio voluntatis & mentis, ex quadam concordantia & diſcordantia diverſorum effectuum, nempe ſuperbiæ & humilitatis, obedientiæ & inobedientiæ, non autem cum gladiis, armis & ſimilibus: tunc Victor Michael cum ſociis ſuis incœperunt grates reddere Altiſſimo de victoria poſita, ipſum collaudando & glorificando.

Habito inter ſe concilio Sancta Trinitas decrevit creare Cœlum & Terram, quatuor verò mundani ædificii fundamenta tunc creata fuêre, erant tamen inviſibilia, & in ſuis matricibus tantum conſervabantur, calor enim frigori non nocebat, nec humidum ſicco, voluit igitur, ut fieret ipſorum ſeparatio, ut ignis & aër tanquam levia aſcenderent, terra verò & aqua tanquam gravia deſcenderent: antequam verò fuiſſet talis ſeparatio, juſſit ut ſimul conjungerentur, ut ex ipſorum mixtione Elementata originem ſumerent, poſtea diſrupto Chaos unumquodque ex ipſis ſuum requievit in locum, ignis ſupra aërem, aër ſupra terram, terra ſupra aquam: videns autem Deus, quod erant neceſſarii motores & gubernatores iſtarum rerum, diviſit Cœlum in Cœlos, ponens Mobile primum poſt Empireum, poſtea Firmamentum, in quo poſuit multitudinem Intelligentiarum unamquamque ſtellam gubernantium, & poſuit *In Aſtris Fatum*, & largitus eſt illis influxum, virtutem & potentiam, ut agerent in Orbem, Circulum

lum autem constituit tanquam Zonam cingentem ipsum, qui ex ordine duodecim signorum animalia repræsentantium vocatus est Zodiacus, ut ex ipso Anni tempora quatuor per Triadem signorum dividerentur, & futuris hominibus innotescerent, septemque constituit Orbium Gubernatores, atque in medio illorum posuit Solem lucis patrem, Lunam verò noctis matrem & tenebrarum, Septenarium concludens, & constituta est ut Organus naturæ, inserviens mutationi inferiorum; post hæc creavit Naturam omnium rerum matrem, cum qua congressus Mas fœmina factus Altissimus produxit viventia in aëre, aqua & terra; hæc autem divisa sunt secundum speciem suam, & acceperunt animam viventem ex spiritu genito ex conspiratione calidi, humidi, frigidi & sicci, sic terræ idem spiritus plantis animam communicavit, & universa, quæ sub Cœlo sunt, ab hoc spiritu vivificantur; hæc enim facta sunt in instanti: Ipse enim jussit & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt, voluntas enim Dei ipsa summa est perfectio, utpote cum voluisse & perfecisse uno eodemque temporis puncto compleat, non enim indiget tempore ut res una fiat uno die, altera altero, sensus enim Genesis figuratus est, nam Scripturæ juxta Augustinum traduntur, vel per Historiam, Allegoriam, Analogiam, vel Etymologiam; sic perfecto Mundo positaque terra in medio universi, undequaque circumdata Cœlo, æternis ornata luminibus, plurimis in firmamento cælatis figuris, visum est Sanctæ Triadi harum rerum inferiorum præsidem & gubernatorem constituere, ne Natura otio torpescens in sterilem commutaretur; dixerunt ergo: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & creavit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, Masculum & Fœminam creavit eos.

Creatur homo, non fit; cùm autem creatio sit rei ex nihilo productio, ex nihilo creatus, & non ex limo terræ; creatus ergo est, ut sunt creati Angeli, & tunc erat homo spiritualis & in-

corporeus, ſcriptum eſt enim, minuiſti eum paulò minus ab Angelis, ne autem homo tumidus, & arrogans evaderet, ut fecit Lucifer cum ſociis ſuis, ex hac excellentia naturæ, formavit Deus ipſum manibus ſuis ex limo terræ, nempe ex materia vili & corruptibili, ut agnoſceret ex quo factus eſt, & ne nimium ſibi arrogaret plusquam decet, & ſic conſtitutus eſt homo materialis & corporeus, erat tamen imperfectus, quia carebat vita: gaviſus autem Deus de hac hominis ſtructura inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo completus in animam viventem, & hunc conſtituit Dominum irrationabilium & rerum aliarum, quæ ſub Cœlo ſunt, ne autem ſolus eſſet ſuper terram immiſſo ſomno in Adam extraxit coſtam ex eo, ex qua formavit Evam, nec in ipſam inſufflavit: quomodo ergo Eva vivificata eſt? vel eſt dicendum, quod non opus erat vivificatione, quia creatus eſt homo primus incorporeus & ſpiritualis, ſed ſi creatus eſt homo primus, nulla erat neceſſitas immittendi in ſecundum hominem corporeum ſpiritum vitæ, & ſi hic ſpiritus miſſus eſt in Adam, quare non in Evam, ſi utrumque Deus manibus confecit?

Creatus eſt primus Angelus Lucifer, formatus eſt primus homo Adam: ex creatione primi Angeli reliqui creati ſunt, ſic ex creatione primi hominis animati, reliqui homines, qui ſunt venturi, creati ſunt: notat Hermes in Pœmandro, quod Deus eſt lux & vita, homo verò ex luce, & vita factus eſt in animam & mentem, ex vita in animam, ex luce in mentem. Lucifer non poterat eſſe Deus, quia non erat lux & vita, erat verò tantum lux, hinc dictus eſt Lucifer, ut eſſet lux aliorum cauſa enim ſuæ creationis reliqui, qui creati ſunt, lucem acceperunt: ſic ex primo homine lux aliorum hominum orta eſt; eſt enim primus viventium Pater Adam tum ex creatione animæ in ipſo infuſæ, tum ex formatione corporis materialis, corpus enim hominis in utero bene organizatum attrahit animam ſicut magnes ferrum, attractio enim illa connaturalis eſt (præcedit tamen animam

ſemper

ſemper ſpiritus tum in ingreſſu, tum ex exitu à corpore) inſufflavit autem Deus in faciem Adæ, & Adam externus corporeus attraxit Adam internum incorporeum, & ſurrexit in vitam, & ſicuti creati ſunt Angeli non diverſi ratione naturæ Angelicæ, ſed differentes tum ex officiis, tum ex majori, vel minori lumine ab Altiſſimo communicato, ut ſupra dictum eſt, ſic eodem ordine ſunt animæ hominum non differentes ratione naturæ propriæ, & eſſentialis (ſunt enim ejusdem ſpecici) ſed aliæ quædam Regiæ & ſublimes, aliæ inferiores, aliæ minimæ, quædam majus habent lumen, aliæ minus, ut experientia videmus in hominibus, non verò æquales ſunt, quia non erat æqualis ordo Angelorum, ſed una altera perfectior; poteſt tamen Deus, quando nova corpora conſtruuntur in utero infundere animam, magis vel minus luminoſam, ſicuti fuerunt animæ Prophetarum & aliorum: legitur enim in Hieremia, priusquam te formarem in utero novi, & antequam exires de vulva ſanctificavi te, & Prophetam in gentibus dedi te.

Sed dicunt communiter, quod Anima rationalis eſt ſubſtantia per ſe ſubſiſtens, incorporea, immortalis, creata à Deo uno de nihilo cùm infunditur.

Si Anima rationalis crearetur ex nihilo, coincideret ejus creatio cum illa mundi, & cæterarum rerum corruptibilium, quæ ex nihilo productæ ſunt; ſed omnia, quæ producta ſunt ex nihilo, in nihilum debent reſolvi, & reſolventur, ita & anima, ſi eſſet creata ex nihilo, periret, ut periturus eſt mundus, & cætera creata, & per conſequens ſequeretur, quod eſſet mortalis; amplius, ſi ex nihilo creata eſſet anima hominis, ex nihilo creati eſſent Angeli, quod eſt abſurdum, imo falſiſſimum; amplius, ſi anima Adæ producta eſſet ex nihilo, fruſtra fuiſſet inſufflare ſpiritũ in Adam, ſed dicere potuiſſet Deus, ut cæteris animantibus dixit; producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile ſuper terram ſub firmamento Cœli, ita & de homine dici poterat, producat terra hominem viventem; vel uſus eſſet verbo, *Fiat*, ut fuit

in productione lucis & tenebrarum, fiat lux, & facta est lux, fiat firmamentum in medio aquarum &c. sed voluit insufflare, & omnes animas creare ex spiritu suo, ut cognoscant homines quantum debeant factori suo, qui simul cum illis habitare voluit (quod sano modo est intelligendum) & discant abstinere à peccatis, & sciant, quod semper adest omnibus suis operationibus, & quod tenentur illum intensissimo, indicibilique prosequi amore, ut excitetur illis desiderium cum ipso in Cœlo conjungi, juxta illud Apostoli; Cupio dissolvi, & esse cum Christo; hinc Trimegistus in Asclepio: Magnum miraculum est Homo, animal adorandum & honorandum, hic enim in naturam Dei transit, quasi ipse sit Deus, hic Dæmonum genus novit, utpote qui cum iisdem ortum se esse cognoscat, hic humanæ naturæ partem in se ipso despicit alterius partis divinitate confisus: ó, Hominum quanta est natura temperata felicius, ac Diis cognata divitate conjuncta!

Hinc dicunt aliqui, insufflavit in Adam, & non in Evam, neque in cæteros, qui post hos sunt futuri, ut demonstraret se amasse primum hominem, quem manibus confecit; sed dico ego, nonne confecit & manibus Evam? nonne omnes homines dependent ab Adamo? ergo, quod fecit per Adam, fecit per alios ex ipso descendentes.

Ex his concludimus Animam hominis non ex nihilo creatam esse, sed ex ipso spiritu Dei in primo homine infuso, & per consequens esse immortalem, & hoc asserimus tanquam verissimum, quod negantes Animæ immortalitatem nequeant concedere esse Deum, quæ quidem immortalitas in obitu Hermetis, ipso loquente, confirmata fuit his verbis, referente Calcidio: Hactenus, filii, pulsus à patria vixi peregrinus & exul, nunc incolumis patriam repeto, cumque post paululum à vobis corporeis vinculis discessero, videtote ne me quasi mortuum lugeatis, nam ad illam optimam, beatamque civitatem regredior, ad quam universi cives mortis conditione venturi sunt, ibi namque solus

Deus

Deus est summus Princeps, qui cives suos replebit suavitate mirifica, quo hæc, quam multi vitam existimant, mors est dicenda potiùs, quàm vita.

Formatis ergo ab Altissimo Adam & Eva, Rectores mundi statim influxerunt suas virtutes. Saturnus dedit dispositionem ad intelligendum & ratiocinandũ. Jupiter vim fortiter agendi. Mars animositatis ardorem Sol sentiendi & opinandi naturã. Venus desiderii motus, hilaritatem & voluptatem, quæ statim à natura attracta illi se immiscuit. Mercurius vim interpretandi & pronuntiandi. Luna facultatem generandi & nutriendi. ***Fatum*** autem undique perambulabat, & totum circuibat Cœlum & Mundum; hæc magis in Adam impressa fuêre, quia primus, succedanea verò Eva non omnia attraxit, quædam verò magis sibi accommodata fuêre, ut suæ naturæ propria: dedit autem illis Altissimus liberum arbitrium, & posuit eos in manu proprii consilii; cum autem firmati essent in horto voluptatis, præcepit ne comederent de ligno Scientiæ boni & mali, ne mors per eos introisset in mundum: serpentis autem consilio Eva de fructibus arboris comedit, & dedit viro suo. O res perpulchra, imò mira, quando belluæ loquebantur! ego quidem putabam solum hominem propriè locutum esse, sed locutus est serpens, bellua terræ; sed tamen sunt quidam, qui dicunt, quod Dæmon erat illi serpenti inclusus, & sub ea forma locutus est, nunquid Dæmon, qui fuit ex Cœlo expulsus, in loco ubi Deus semper aderat, se serpenti occultavit, & poterat ingredi voluptatis hortum, quem pro se & homine Deus paraverat? ***Serpens*** erat ***Fatum*** undique serpens; Anima enim corpori inclusa medio ***Spiritus*** sui ministri erat facta corpori connaturalis, & incipiebat paulatim flectere spiritui, & obedire sensibus: fœmina autem hominis curiosior attrahebatur & delectabatur, pulchritudine illius arboris & fructuum ejus, & Virtute ***Imaginativa*** callida inter sensuum vires, quæ instar serpentis semper in nobis

serpit

ſerpit, inter ſe dicebat. Quare præcepit Deus de omnibus veſci, quæ in hoc horto ſunt, de hac autem arbore non? ne intelligamus bonum & malum? non ergo intelligentes bonum & malum ſumus homines, intelligentes verò bonum & malum erimus ſicut Dii. Ecce hoc dicto Voluntas, potentia animæ princeps, cedit ſenſibus, animaque cœpit corpori obedire, & *Fatum* de repente ingreſſum incœpit ſerpere per mollem intellectus fœminei potentiam, unde illa præcepti Dei immemor comedit de illo arboris fructu, & dedit viro ſuo. Iratus Altiſſimus ejecit eos de Paradiſo Voluptatis, terra autem facta erat infructuoſa, otioſaque Natura nihil agebat, unde cum labore hominis congreſſa peperit pulchram filiam Inventionem, & Mors introivit in Orbem, ut terrenus homo revertatur ad terram, ſpiritualis autem ad Deum.

Naſcenti calcanda via omni publica lethi eſt,
ſic Natura tulit, nec ſi quis corpore toto
pallidus, exanguisque metu genitricis in alvum
divertat, totaque caput tellure prematur,
evadat: ſtant Fata *Dei, ſtat ferreus ordo.*

Hinc patet an Anima creata ſit ex nihilo, quare Deus non dedit animæ mortem, ſi Anima ſecundum illos producta eſt ex nihilo? quare non deſtruxit Angelos peccantes, ſed punivit? corpus enim peccare non poteſt niſi anima introducatur in ipſo. O Talpæ cæcutientes! nunquid Deus tenetur deſtruere proprium ſpiritum? nonne tam Angeli, quam Homo ſunt ex Spiritu Dei, ipſiusque Imagines? & quando aliquis factor deſtruit propriam Imaginem, niſi inſaniat vel fiat impius, ut pater enecet filium, & propriam deſtruat Imaginem? nonne inquit Dominus: Non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt? ecce ſpiritus Domini in homine. Nonne hoc eſt Sole clarius? locutus autem eſt Deus hæc, quando præcepit Noë, ut conderet arcam, tunc enim mortuus erat Adam, Eva, Abel, &c. ut non credas, quod ſpiritus Dei tantum fuiſſet in Adamo, ſed in omnibus

omnibus hominibus; & paulò post. Delebo, inquit, hominem, quem creavi à facie terræ, ab homine usque ad animantia, à reptili usque ad volucres Cœli; ex quibus iterum manifestè patet, an anima creata sit ex nihilo.

Sed in Genesim satis, ne curiositas indagandi evadat manifesta temeritas, nam

Quò plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

timendumque, ne veniat Altissimus, mecumque irascatur, & dicat. Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis? ubi eras quando ponebam fundamenta terræ, indica mihi, si habes intelligentiam? unde præcepit Apostolus: Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Scientia enim nostra limites præfinitos habet, quos excedere non potest, unde

Si vox infragilis pectus mihi firmius esset,
pluraque cum linguis pluribus ora forent,
non tamen idcirco complecterer omnia verbis,
materia vires exuperante meas.

Triplex ergo est homo, spiritualis, corporeus & animasticus; scribit tamen Augustinus lib. de spiritu & anima; spiritus namque ad substantiam dicitur, anima ad vivificationem, eadem enim est essentia, sed proprietas diversa; nam unus & idem spiritus ad se ipsum dicitur spiritus, & ad corpus anima; spiritus est in quantum est ratione prædita substantia rationalis, anima in quantum est vita corporis; sed res non sic se habet: nam Hermes in Clave scribit; Anima in spiritu, spiritus in corpore. Theophrastus verò Paracelsus in lib. de Creatione hominis inquit. Anima ex Cœlo descendit, spiritus ex aëre, corpus ex terra; & paulò post. Spiritus enim inest omnibus quatuor Elementis totius mundi cum sua natura media, quæ est occultus spiritualis ignis, estque sperma & natura generativa, ita ut Elementum aëris, natura media, & spiritus omnibus rebus hujus mundi vitam dent & auferant; ex his patet, an in homine triplex sit anima, ve-

C getativa,

getativa, quando incipit organizari; ſenſitiva, antequam ſit perfectus; quando verò omnibus ſuis partibus completus eſt, tunc introducitur ex ſpiritu rationalis; Una enim eſt anima hominis rationalis ſola, antequam verò illa in uterum introducatur, fœtus vivit, ut cætera animantia terræ, ut ſunt plantæ & bruta, quæ ex ſpiritu & ex elementorum congerie promanante vivificantur; anima autem vegetativa & ſenſitiva dictæ ſunt ad differentiam plantarum & irrationalium, non enim tales animæ inter ſe differunt niſi ratione ſubjecti; imo dici poteſt, quod in ſemine hominis ſit iſte ſpiritus vivificans, nam virtualiter in ſemine ſunt elementorum qualitates, ex quibus emanat vapor, qui convertitur in ſpiritum, & ex nutrimento, quod accipit à matre, creſcit, & magis vivificatur in utero vivens; nihil ergo ſunt anima vegetativa & ſenſitiva: cognovit & Paracelſus hunc ſpiritum ab anima differre, nam ſpiritus eſt tanquam animæ miniſter, quod ab Hermete in Clave confirmatur; anima verò, & ipſa divinum quid exiſtens, tanquam miniſtro utitur ſpiritu, ſpiritus autem regit animal, hinc nullum eſt dubium, an ultra animam ſit ſpiritus, nam caro concupiſcit adverſus eum, & ipſe adverſus carnem.

Ex his patet, quanta ſit hominis dignitas, nam cum tres ſint Perſonæ in Divinis, hæ reſpondent tribus principiis, quibus formatus eſt homo; anima enim Patri, caro Filio, ſpiritus Spiritui Sancto, & ſicuti ex hac Triade conſtituitur unus Deus, ita ex his tribus unus homo; Vita hominis eſt unio horum trium, mors verò ſolutio, & ſic anima in reſolutione corporis petit locũ ſuum juxta opera ſua, corpus terræ remanet, ſpiritus autem aëri; ſic intelligit Paracelſus loco ſupra citato, & cum eo ſunt quidam Hebræorum mecubales; diſrupto ergo vinculo horum trium, nulla eſt naturalis actio, ut iterum in vitam producatur.

Sed ego non ignoro, quod homo poteſt poſt mortem iterum in vitam redire, & omnia ea facere, ſicut antea faciebat, per quoſdam ſacros Annos, ſed res hæc eſt adeo inextricabilibus

& im-

& imperceptibilibus involuta myſteriis, ut à nullo homine intelgi poſſit, niſi divinitùs inſpiretur, dico quod homo vivet, non ut antea faciebat, per animam, ſed per ſpiritum eundem, qui erat cum anima; dico eundem, ne credant aliqui me intelligere de Dæmonibus in corpore introductis, qui poſſũt excedere tempus annorum in illo corpore, quod hic ſpiritus facere nequit, & faciet eadem opera, quæ faciebat, quando erat cum anima, non enim hic ſpiritus poſt ſeparationem animæ à corpore aſcendit in Cœlum, nec aſcendere poteſt, ſed errat per quoſdam Annos Sacros, quibus expletis redit ad locum, ubi antea fuit, antequam introduceretur anima in hominem, hic enim præcedit animam, eamque ducit in uterum; nec hic eſt ſpiritus elementorum ſecundum Paracelſum, nam hic ſpiritus eſt in homine, plantis & brutis, quouſque vivunt, ſed poſt ſuam diſſolutionem tanquam fumus evaneſcit; hic ſpiritus quodam in loco Evangeliſtarum tangitur à Chriſto, ſed nondum, quid velit dicere, intellexerunt Expoſitores, nec intelligent.

Eſt autem ars quædam Cabbaliſtico-Magica, ex qua tantum opus emanabat, neceſſe autem eſt, ut utens hac, vulgi converſationes vitet, ut ad Sacrum perveniat Ternarium; ætas autem quædam requiritur ad hoc, ut operator agere poſſit, ſi enim eſt tam ante annos requiſitos, quam poſt, ſuo non potietur voto, hæc ars mirabilia in ſe continet, quæ imitantur miracula, ut eſſet de vinculis Spirituum, de curis characteriſticis morborum incurabilium pauco tempore, de futurorum prædictione, de præteritorum, quæ non amplius recordantur, reminiſcentia, de modo mutandi tempora, pariendi nives, grandines, pluvias, fulgura, fulmina, tonitrua, vel ea ſiſtendi, de inviſibilitate, de Chymico lapidis ſudore, qui per momenta conficitur, de arcanis vegetabilium & mineralium, de arcanis ſcientiarum & artium, nec non ſecretorum Status, quæ aguntur in Conciliis Principum, de mutatione momentanea de loco ad locum, de deſtructione Pontificum, Regum, Principum, aliorumque ſublimium, vel infimorum hominum inſenſibili, & hæc eſt ad placitum Magi; pro

 repe-

reperiendis furtis, vel furandis Magnatum thesauris, pro victoria patranda contra innumeram populorum multitudinem, cum minima, aliaque infinita, quæ sub ipsa sunt; tantum est, si hæc scientia à quodam Rege vel Principe sciri posset, paucis in annis in magnum Monarcham evaderet.


Spiritus autem de triplici Hierarchia ad multa & diversa inservire possunt. Seraphim ergo ambiunt venerari & diligi, & solum in rebus magnis utuntur, in humilibus mittunt suos subditos. Cherubim contemplationi inserviunt, hi enim sunt doctrinarum omnium fontes. Throni afferunt pacem, & in actionibus tranquillitatem, vanitates tamen fugiunt, & homini pacifico obediunt. Dominationes pro Principibus, tam Ecclesiasticis, quam Sæcularibus, & dant victoriam de inimicis. Virtutes dant in rebus fortitudinem, maximè in bello, & valent ad corporis salutem. Potestates dominantur super spiritus inferiores, & hi mirabiliter pro arte inserviunt. Principatus sub se habent spiritus, qui possunt divitias concedere immensas, sed sunt valde callidi. Archangeli abscondita revelant, omniaque arcana, & sunt diligentissimi ad aperiendas difficultates Theologicas, Legales, Astrologicas & similia. Angeli verò sunt infiniti & diversi, & secundum propriam qualitatem agunt, nam sunt sub quatuor Principibus, & octo Subprincipibus, qui illis imperant; qui autem non noscit, quomodo unusquisque propriæ operationi inserviat, & quomodo possint reduci ad colloquium, in vanum in hac altissima arte laborat.

Dicent tamen quidam, qui, quæ non capere possunt, spernunt, quòd hæc ars sit Pneumatica Antiquorum, quæ addita est commentariis Agrippæ; sed isti legant, & benè percipiant, quid ex ea deduci possit, & an ea, quæ narravi, in ipsa contineantur; hujus ergo scientiæ ope spiritus idem in homine reduci potest, & vivet homo: sed hęc operatio est difficilis, quia requiritur quoddam tempus operationi inserviens, quod si excedit, nihil agi potest. Operatio hæc non fit nisi in Regibus, Principibus, & similibus.

libus viris, sed transactis sacris Annis, eodem momento, quo introductus fuit, evanescit, & non amplius redit.

Hoc experimentum comprobatum fuit in illustri quadam fœmina, quam Imperator S. Sigismundus maximo prosequebatur amore, habuit etiam hic Imperator Spiritum secundæ Hierarchiæ, quem quidam tantæ scientiæ peritus largitus fuit. Eadem Operatio in Ducibus Saxoniæ, & Marchionibus Magdeburgensibus feliciter successit, & sic eorum Principatus ad filios proprios pervenit, nam cum essent parvuli, ab aliis Principibus raptus fuisset; sed hæc facta sunt in antiquis temporibus, quando talis Scientiæ Professor vitam degebat.

Hanc artem calluêre primi Patres, Noë, Abraham, Jacob, Moyses, David & Salomon; hic autem ultimus ipsa abusus est, & accepit pœnas condignas; hæcque erat in Hæliseo Propheta, de ipso enim traditur, quod, cum essent egressi de ripis Jordani, dixit Helias Ministro suo, postula à me quod vis, priusquam me Deus à te transire & recipi jubeat: cui Hæliseus, spiritus, inquit, tuus duplex (refer ad ea, quæ supra dixi) obsecro in me requiescat; rursumque Helias duriter dicens, postulasti, sed tamen si hora receptionis meæ mihi præsens astiteris & videris, hanc petitionem eventus complebit: his dictis Helias igneo curru receptus velut ad Cœlum, considerante Hæliseo, rapitur, collegit autem labentia vestimenta mœstus hæres Hæliseus, & Jordanem sicco pede transivit, Dominum Heliæ invocans: legitur ergo ex lib. 4. Reg. cap. 4. miraculum Hælisei super filium Sunamitidis, quem non suscitavit, sicut fecit Lazarum Christus, vel alios mortuos; sed in se contractus sedit super filium, & conjunxit oculos oculis, & partes alias aliis partibus, & iterum surgens ambulabat, & osculabatur puerum per *Septem* vices, & postea surrexit; non ignorabat hanc artem Hæliseus, & per ipsam surrexit puer, hæc enim ars sacra est, & à Ceremoniis cacomagicis penitus longinqua, nec in ipsa sunt fœdera cum Dæmonibus, sed ipsi via quadam subjici conantur; nec sunt characteres, suffumigia & alia superstitiosa,



quæ in Necromantia adhibentur. Miraculum enim, quod fecit Angelus, liberans Petrum Apostolum de carcere per hanc, idem comprobatum fuit in Comite de Vurvich, qui in Anglia erat mane sequenti capite mulctandus: sic Papa Joannes in Concilio Constantiæ, simul cum quodam Duce hujus Scientiæ medio adjuti aufugêre à manibus irati Imperatoris; taceo alia admiranda, quæ per ipsam fieri possunt, hujus autem imitatrix est falsa Magia, de qua, & ejus speciebus aliqua tradam prægustanda.

Zoroastrem Magiæ Inventorem tradidit Antiquitas, qui de se ipso hæc scripsit. Conscripsi Zoroaster Armenii genere Pamphylius, qui in bello mortuus ad inferos descēdi, & à Diis hæc addidici: sed varia sunt nomina Zoroastris, de quibus non benè conveniunt Auctores, conveniunt tamen in hoc, quod unus fuit veræ Magiæ inventor, alter verò corruptor, & hic ultimus fuit à Nino in bello victus; hinc Arnobius inquit: Ut inter Assyrios & Bactrianos, Nino quondam Zoroastroq; Ductoribus, non tantum ferro dimicaretur & viribus, verum etiam Magicis & Chaldæorum reconditis disciplinis: quidquid sit de hoc Zoroastro, traditur totam ejus vitam fuisse portentosam, & eo die, quo natus est, risisse, & cerebrum ita palpitasse, ut impositam repelleret manum futuræ scientiæ præsagio: vixit in desertis caseo annis viginti ita temperatè, ut vetustatem non sentiret, obiit autem igne cœlesti concrematus, sicut optaverat.

Magi autem nomen varium est, nam apud Persas circa divina Sapientem sonat, hinc verè Magus ille est, qui colit & agnoscit Deum suum, sic Tres illi Magi Christum natum adoraverunt; hic apud Cabbalistas vocatur Propheta, apud Ægyptios Sacerdos, apud Assyrios, Babylones, Chaldæos, Bardus, apud Gallos Druidus. Indi verò, ut Prophyrius notat lib. 4. de animalium abstinentia, Antiqui, Sapientes appellabant Gymnosophistas, inter eos verò, qui quadam generis successione in studio Religionis & Sapientiæ procedebant, Brachmanes, qui verò idem

eâdem electione tantum profitebantur, Samaneos: quidquid sit, nihil aliud est Magia, quam Sapientia Physicarum, & Metaphysicarum rerum intelligentia, quæ divinarum & naturalium scientia constat, hinc Magus est ille, qui de singulis philosophatur: hæc variis modis à Professoribus in usum adhibita fuit; ab Ægyptiis per imagines, à Medis & Persis per vegetabilia, ab Arabibus per Sydera. Naturalis autem Magia, si ipsa casta reperiretur, sicuti est corrupta, usurpari liberè posset, nam puris naturæ principiis innititur, nunc autem confusa mendaciis, & impuritatibus invenitur. Ego quidem fateor me nondum librum legisse, qui ex impura non esset commaculatus: liber Joann Baptistæ Porta in hac materia pulcher est, sed tantus vir exteriora descripsit, interiora ignoravit; ex hac enim cum Astronomia juncta multa utilia ad juvandum genus humanum extrahi possunt, ut curæ admirandæ per imagines Astronomagicas, ut esset, dolorem podagricum sedare, curare nephriticum, hystericam mulierum passionem, narium hæmorragiam, capitis dolorem intensum, & similia; sic Joannes Marbianus, insignis Mathematicus, à pavore, quo sub tonitruo affici consueverat, beneficio imaginis liberatus est, ut notat Marsilius Ficinus, hinc Petrus de Abano credidit Medicum per imaginem posse curare infirmum, cui ego non contradico: juvant etiam ad honores, sed in constructione ipsarum observandum est, ut fortunæ sint in suis dignitatibus in Cœli culmine, vel succedentibus, luminariaq; libera sint à radiis maleficorum, & feliciter respiciant figuræ dominum, malefici verò cadant ab angulis. Fiunt etiam imagines pro amore, quę sunt efficaces, si addatur suo tempore collecta Valeriana, sanguis columbæ, ambra &c. aliæ fiunt ad infirmandos homines, aliæ ad destructionem animalium, puta Scorpionum, muscarum, & similium; taceo per Magiam naturalem posse produci in ictu oculi, ut ita dicam, ranarum generationem, sicuti ex sputo faciebat Daumates Hispanus, sic vermium aliorumq, animalium ex putri, sic vegetabilia parere fructus.

ctus ante tempus, multa etiam venefica parari possunt, quæ odore solum pauco tempore faciunt tabescere hominem & emori: amatoria quidem vera cum propriis vegetabilibus addito humano sanguine, & aliis in formam pilæ odoriferæ, sic & alia infinita fieri possunt, applicando activa passivis, & cognita benèque percepta superiori natura, ipsam cum inferiori commiscendo ad hoc, ut pariant effectus possibiles & admirandos.

Hujus Magiæ naturalis æmulatrix est Cacomagia, quæ ope Dæmonum, inito fœdere exercetur, de hac scripsit Julianus Chaldæus Philosophus, pater illius Juliani, qui vocatus est Theurgus, de Dæmonibus libros quatuor, sunt autem ad custodiam cujusque hominum membri, qualia sunt Chaldaica Sacrificia; deinde Julianus prædicti filius sub M. Antonio Cæsare scripsit, & ipse Theurgica Logia carminibus, & alia quæcunque talis scientiæ arcana sunt, ut est apud Suidam; hæc enim Theurgia sub nominibus Dei & Angelorum malis Dæmonum fallaciis obstringitur, in ea enim observatur munditia corporis & animi, & externarum rerum; & sic Dæmones decipiunt homines, ut venerentur. Hac sæpissimè utuntur fœminæ etiam bonæ mentis, credentes esse Angelos bonos, eò, quia apparent cum vestibus albis, conspiciuntur tamen isti spiritus in speculis, vel phialis aquæ plenis; unde pro furtis reperiendis hac Magi utuntur, accipiunt enim olei guttulam, & facto circulo super manum puellæ virginis, vel prægnantis posita candela cerea, in medio digitorum, in loco obscuro conjurant spiritum album, ut appareat, vel dicat in auribus, quomodo res se habuit: hocque probatum est.

Goethia verò est illa, quæ proprio nomine Necromantia vocatur, hæcque ab impiis hominibus exerceri solet, semper inito fœdere cum Dæmonibus, tam tacito, quam expresso: per ipsam fiunt execranda, enecantur enim pueri absque Baptismo; & cum ipsis, & herbis quibusdam conficitur unguentum, cum quo inuncto corpore feruntur ad longinqua spatia à dæmonibus in forma Hirci, ut plurimum; sed virtus talis non est in unguento,

guento, conſtat enim ex Narcoticis & aliis, quæ ſenſus obſtupefaciunt: cum hac arte credunt ab inferis mortuorum animas educi poſſe, ſed decipiuntur: nam à loco, ubi anima, Dei permiſſione, ſtat, nunquam recedere poteſt, niſi ipſo permittente. apparitio enim animarum miraculoſa cenſetur apud S. Thomam Aquinatem; ſed mali dæmones apparent in ſimilitudinem illius, qui quæritur, quod non tantum verum eſt ex Auctoribus ſacris & aliis, ſed ſcio hoc fuiſſe à quodam dæmone enarratum: nam cum vellet quidam evocare ab inferis animam fratris cum regulis artis, apparuit Dæmon ſub forma fratris, & de multis interrogatus reſpondit, ille autem qui in arte erat benè inſtructus, adeo fortibus conjurationibus conſtrinxit dæmonem, ut tandem proprio ore confeſſus fuerit, ſe non eſſe ejus fratrem, nec ſcire poſſe, ubi eſſet anima fratris. Impia ergo ſunt quæcunque per hanc artem fiunt, & infelices ſunt ejus profeſſores, ſemper pauperes & egeni, nam quidquid poſſident, tanquam umbræ evaneſcit, & ſunt res fictæ, tum quia eſt abuſus ſacramentorum; credunt etiam Necromantes ſe extrahere poſſe Theſauros ſubterraneos, qui a ſpiritibus cuſtodiuntur, ſed ipſi enecant Magos; ſic cupiebat facere Cornelius Agrippa, qui à Cæſare Carolo V. cum duobus ſociis fuit miſſus in exilium.

Spiritus autem diverſi ſunt, nec omnes inſerviunt ad opus. Ignei enim verſantur ſub Regionibus Lunaribus, & hi propter ſubtilitatem, quam habent, corpus aëreum induere nequeunt, unde nullum tenent cum hominibus commercium, faciunt tamen aliquando apparere varia phænomena, ut Cometas, Ignes ex Cœlo deſcendentes, Cœlum tanquam ardere faciunt, & ſimilia. Aerei verò audaces, temerarii ſunt, Necromanticis familiares; ſic aquei turbulenti, inquieti, iraſcibiles, fraudulenti, concitantes tempeſtates in mari ſubmergunt homines, & quando viſibile corpus aſſumunt, ſæpè videntur prope ripas fluminum, vel littora maris in forma mulierum, & ab Antiquis vocabantur Naiades, Nereidæ. Terrei verſantur in ſylvis, nemori-

bus, venatoribus insidias ponunt, vel illusionibus homines territant, sunt pejores aëreis & aquaticis, & conantur, in quantum possunt, inducere mœstitiam in homines, nam juxta S. Chrysostomum, omni actione diabolica potentior est ad nocendum mœroris magnitudo, quia dæmon, quousq; superat, per mœrorem superat; dividuntur autem hi in lucifugos & subterraneos, & sunt omnium pessimi, nec incantatoribus inserviunt propter inconstantiam affectionum: unusquisq; ex his proprium agnoscit Principem, eiq; obedit, unde non omnes sciunt, sed quidam sunt veluti mente capti & stolidi, qui convertuntur in canes, lupos &c. per hos ergo spiritus multa ludicra & nugatoria fiunt, alia verò noxia humano generi & irrationabilibus, ut, quando concitantur tempestates, grandines, terræ motus, diluvia, quæ per aëreas potestates fiunt, unde occiduntur bruta, dissipantur victualia pro usu hominum: hujus artis medio conficiuntur imagines cereæ, vel alterius mixtionis, quibus utuntur impii ad inducendam mortem alicui, fiunt etiam imagines ad excitandum amorem in mulieribus, & coguntur tanquam insanæ etiam ex lecto surgere, & quærere hominem etiam sibi invisum, sin minus, cruciantur pœnis inexplicabilibus, & aliquando tabidæ moriuntur, quando non subjiciuntur illi; innumera ergo per hanc artem fieri possunt, quæ omnia tendunt ad malum finem.

Multorum tamen opinio est Dæmones esse repertos ad edocendum vulgum, sicuti putarunt Antiqui, in re autem vera imaginarios esse; quod falsissimum est, imò stultissimum apud scientificos, & hæc sola ratio sufficit, ut demonstrentur esse; nonne ad puniendum hominum latrocinia, adulteria, homicidia & similia, tenent Reges & Principes ministros, ut exequantur judicium contra eos, qui sunt vel carceri, vel triremi includendi, vel suspendendi, vel capite mulctandi? quantò magis Deus?

Post Necromantiam sunt aliæ artes, in quibus Dæmonum vis exercetur, ut Pyromantia per ignem, vel igneas impressiones.

Hydrò-

Hydromantia per aquam, hæc apud Turcas tamen: Andronicus Imperator ea multum utebatur. Ego experimentum vidi: Erat Cyathus aqua plenus, deficiebat tamen per unum digitum, & erat in medio ejus, per filum alligatus, annulus aureus, qui duobus parvis lignis sustentabatur, nullus autem tangebat nec annulum, nec lignum, erant tamen super tabulam posita; facta autem tacitè conjuratione, apertè verò petitione, annulus ex se ipso cyathum ex utraque parte percussit, & res effectu non fuit vacua; alii autem neglecta conjuratione recitant versiculum quendam Psalm. 50. Est etiam Aëromantia ex aëre: Geomantia, non illa ex punctis, sed ex impressionibus terreis, ut voragine, tremore, tumore. Capnomantia ex fumo. Ceræomantia ex cera, ex qua Plumbomantia, quæ exercetur à Mulieribus in Vigilia Festivitatis S. Jo. Baptistæ ad divinationem Mariti, sicuti dum plantant triticum per quosdam dies pro eodem effectu, & sic oritur Triticomantia. Coscinomantia fit per cribrum ad Furta reperienda, vel cadavera submersorum, sicuti observatur in Tarvisii Civitate in Flumine Silis; positis enim candelis cereis super Cribrum accensis, ubi illud quiescit, ibi reperitur cadaver, res est in usu apud hos populos; sunt & aliæ artes innumeræ, quas brevitatis gratia relinquere decrevi, sunt enim superstitionibus plenæ, & majori ex parte nugatoriæ, in quibus parum est utilitatis: quidquid sit, exeunt à fonte Necromantico, & fiunt ope Dæmonum, nec casu fieri possunt, nisi ab ipsis fiant, ut alios decipiant, multa quidem facere possunt, nam etsi è Cœlo ejecti gratiam sui Creatoris amiserint, dotes tamen excellentis suæ naturæ, cum quibus creati sunt, conservant, ipsis tamen abutuntur, nec aliquid facere possunt nisi Deo permittente, res est clara in historia Job & alibi.

Noto tamen, quod non semper vocati dæmones apparent, sed tunc solum, quando præcessit fœdus à Necromante factum; non enim alligantur annulis, phialis vitreis, avibus, brutis, quia spiritus sunt, unde corpore carent; sed per illud fœdus,

vel jussu spiritus superioris, qui est Princeps inferioris, adsunt semper, vel vocati signo Characteristico, ab ipso spiritu dato, accedunt. Miracula eorum, vel alia ostenta, quæ ab ipsis fiunt, falsa similitudine ostenduntur, nam aut sunt phantasmata, aut quadam industria naturali facta, sciunt enim per momenta applicare activa passivis, unde res miræ nascuntur: sic ego novi virum doctissimum, qui multa mira naturaliter faciebat, murmurabat tamen aliquando quædam carmina ridicula, ut homines crederent esse Magum, ille autem erat vir optimæ conscientiæ. Scio amplius, quod nullus ex hac arte dives evasit, sed omnes pauperes & egeni; &, quod peius est, violenta, repentinaque morte à dæmonibus jugulati, vel submersi periêre: hinc non sine causa scriptum est Levitic. 20. Vir sive mulier, in quibus Pythonicus, vel Divinationis fuerit spiritus, morte moriantur, lapidibus obruent eos, & sanguis eorum sit super illos: Et paulò post: Anima, quæ declinaverit ad Magos & Ariolos, interficienda est de medio populi sui. Sed de his satis, & ad Fatum nostrum redeuntes, finem cum Lucano ex lib. 2. Monadi nostræ imponamus:

Sivè parens rerum, cum primum informia regna,
materiamque rudem, flamma cedente, recepit,
fixit in æternum causas, qua cuncta coërcet;
se quoque lege tenens, & sæcula jussa ferentem
Fatorum *immoto divisit limite mundum.*
sive nihil impositum est, sed sors incerta vagatur:
fertque, refertque vices, & habent mortalia casum.

DIAS.

FILIUS

IOD *SAPIENTIA.*

INTELLECTUS

METATTROM.

SERAPHIN.

PRIMUM MOBILE.

SPHÆRA NONA.

FATUM.

FATUM est immobilis quædam, in anima Mundi, rerum mobilium dispositio: ejus instrumentum est cœlestis natura, sed materia, in quam agit per instrumentum, est moles elementorum, tam verò à materia, quam ab instrumento tria nomina sortitur: primum Lachesis, & hanc dicunt Firmamentum, in cujus astris sublunarium tum sortes, tum vires continentur: secundum est Clotho, & hanc dicunt Planetarum in evolvendis inferiorum sortibus cætum firmamento subministrantem: tertium est Atropon, & per hoc nomen intelligunt altissimum in ordine Erraticorum Planetam Saturnum, qui sua stabilitate, motusque tarditate sortes in effectus evolutas inevitabiliter confirmat, unde Piërius de Sacris Ægyptiorum Hieroglyphicis lib. 48. tenet, Fatum tum Poëtarum sententiâ, tum Platonis lib. 12. de Repub. non per aliud significari, quam per stamina, fusum, colum, fila in manibus Parcarum, unde vulgatum est carmẽ:

Clotho tenet stamen, Lachesis trahit, Atrophos occat.

hinc Plato juxta Marsilii Ficini commentum in Fati materia tres enumerat Parcas; quia vis fatalis per Cœlum in Elementis infusa, non tantum agit in materiam & formam, sed etiam in compositum, imò in essentiam, virtutem, actionem, principium, medium & finem; hinc à Platone loco supra citato traditum est, Parcas tum corporum, tum animorum, tum legum posse servare prosperitatem.

Cum interea infirmo quatientes corpora motu
veridicos Parcæ cœperunt edere cantus,
his corpus tremulum, complectens undique vestis,
candida purpurea Tyrios excinxerat ora.
At roseo niveæ residebant vertice vittæ,
æternumque manus carpebant rite laborem.
læva colum molli lana retinebat amictum,
dextera tum leviter deducens fila supinis
formabat digitis: tum prono in pollice torquens
libratum tereti versabat turbine fusum;

atque

atque ita decerpens æquabat semper opus dens,
lanæque aridulis hærebant morsa labellis,
quæ prius in leni fuerant extantia filo.
ante pedes autem candentis mollia lanæ
vellera virgati custodibant calathisci.
Hæ tum clarisonâ pellentes vellera voce,
talia divino fuderunt carmine Fata,
carmine perfidiæ, quod post nulla arguet ætas.

Quidquid sit, Fatum est quædam series, & ordo causarum ita inter se connexarum, ut à prima ad ultimam procedens sit necessarius connexus. Hierocles verò in lib. septimo de Providentia & Fato tenet, Justitiam, quæ Dei Providentiam comitatur, vocari Fatum; paternum enim primi Architecti imperium Providentia est, quæ unicuique generi convenientia distribuit, Justitiam verò illam subsequentem vocat Fatum; sic Hermes Trimegistus appellat Fatum Providentiæ Ministrum. Photius verò Constantinopolitanus, qui Hieroclem est commentatus, in libro de Providentia & ordine, credit, quod illud, quod nos huc ducit, & hinc rursus abducit, Fatum sit, Nexus videlicet tum judicii Divini, tum concursus voluntatis humanæ.

Triplicem sortitum est differentiam, in Physicum, Stoicum, & Chaldaicum. Physicum est quædam series causarum Universi, quatenus ab Opifice primo ordinem ineffabiliter servant, hinc Plato in Tymeo vocat Leges Fatales: Boethius verò de Consolat. philos. prop. 4. tenet, Fatum esse ordinem causarum secundarium Divinam providentiam exequentium: hinc deducitur, quod singulis rebus Universi sit à primo Motore præscriptus ordo certus agendi, sine cujus directione nil subsequi potest: causæ enim physicæ tripliciter in suum tendunt finem: primò per inclinationem naturalem, & ex necessitate naturæ operantur, ut sunt inanimata & vegetabilia: secundò per naturæ instinctum sponte agentem sine libera electione, ut sunt bruta: tertiò per finis intentionem cogniti, ut finis est, & per pro-

priam

priam finis intentionem operantur, & seligunt media ad illum obtinendum, & secundum liberam voluntatis electionem, & in hoc ordine sunt homines.

Secunda differentia Fati est secundum Philosophos Stoicos, & hi alligant Deum connexioni causarum secundarum; unde Zoroaster appellavit Deorum voluntatem necessitatem; & Orpheus dixit, quod rebus omnibus fortis & invincibilis necessitas dominatur. Hinc Alexander Aphrodisæus in principio libri de Fato secundum opinionem Stoicorum inquit: Fatum est impermutabilis & inevitabilis causa, per quam fiunt ea, quæ fiunt. Quidquid sit de horum philosophorum temeritate circa Fati definitionem, à Christiano homine detestanda sunt, cum Deus summus rerum Opifex sit agens liberum, & causæ secundæ sint ipsi subordinatæ, qui omnia Providentia regit, quod negare non tantum esset hominis Athei, sed etiam insani, scriptum enim est à Psalmista: Quam ampla sunt opera tua, ô Domine, quam ea omnia sapienter fecisti, quam plena est terra possessione tua; unde Dei Providentia bona & mala reguntur: bona virtutis Divinæ præcursu, concursu & succursu; mala permittendo, determinando, dirigendo; hinc vocatur causa peccati, & fieri mala aliquando permittit, ut sua misericordia uti possit: si enim homines sine crimine viverent, Deus sine misericordia esset, cujusnam misereretur? Innocenti? Justo? Sancto? scriptum est enim, quod Justus septies in die cadit. Unde Hieronymus Sanctus hoc dilemma proponit: si Justus, quomodo cadit? si cadit, quomodo Justus? sed Justi vocabulum non amittit, qui per pœnitentiam semper resurgit; concludo ergo Deum summum rerum Auctorem omnia prudenter & sapienter regere, nec causis alligari secundis, unde Nehem. 9. vers. 6. Tu ille, Domine, solus es, tu fecisti Cœlos, Cœlos Cœlorum, & omnem exercitum illorum, terram, & quidquid est in eis, & tu vivificas hæc omnia, & exercitus Cœlorum tibi se incurvant honorem exhibentes.

Tertium

Tertium Fatum est secundum Chaldæos, & hi introducunt Deum Astris subjici, quod ut impium ab Augustino in principio lib. 5. de Civitat. Dei refellitur, & ab ipso Plotino ad calcem capit. 2. de Fato, hi enim Divinam voluntatem, Deumque à Syderibus & corporibus cœlestibus alienarunt: & hæc est triplex Fati differentia. Aliqui tamen Fatum non esse affirmarunt, & hi secuti sunt Anaxagoram Clazomenium asserentes, Fatum esse quandam vocem puram & vanam; alii introduxerunt per Fatum inevitabilem cunctarum rerum eventum, casum & fortunam tollentes, & hi sunt Stoici supradicti, quos defendit Petrus Pomponatius; alii dixerunt, esse vim cœlestem, qua eveniunt quæcunque eveniunt, & hi sunt Mathematici.

Posita hac triplici Fati divisione, restat nunc discutiendum, quid propriè sit Fatum, an sit unum, vel multiplex, & de quo in hoc opere intendimus.

Dico Ego, Fatum suo modo sumptum nihil aliud esse, quàm quendam radium ex immenso Providentiæ lumine emanantem, qui quidem radius lucet in omnibus tam rationalibus, quam irrationalibus, tam sensitivis, quam inanimatis, & hoc est Fatum commune & universale rebus cunctis.

Fatum autem particulare juxta S. Thomam Metaphys. 6. est quædam dispositio inhærescens rebus inferioribus ex actione corporis cœlestis. Hinc Hermes Trimegistus in Poëmandro sic inquit: Mens verò Deus Masfœmina existens, vita & lux cum sit, parturiit verbo aliam Mentem Opificem, quæ Deus, Ignis & Spiritus existens, effecit Rectores quosdam, Septem in circulis continentes sensibilem mundum, & regimen illorum Fatum vocatur: & in lib. de Mente communi ad Tatium: omnes verò homines Fato subjiciuntur, generationi, & mutationi: Principium enim & finis hæc sunt

E Fati

Fati, & omnes homines patiuntur quidem fatalia, sed selecti quidam, quibus diximus Mentem esse lucem, non eodem modo cum aliis patiuntur, sed malo liberi, cum mali non sint, malum non patiuntur; Et in lib. de Providentia & Fato. Omnia fiunt Natura & Fato, neque enim Fatum fugere quis potest, neque se custodire ab ipsius vi magna, arma namque Fati sunt Stellæ, secundum ipsum namque cuncta efficiuntur naturæ & hominibus; & paulò post: Fatum ducit, & circumducit omnia constringens, natura enim ejus est cogere, & est causa dispositionis Astrorum.

Ex his ergo deducitur Fati definitio, de quo loqui intendimus, & est: Fatum est quædam vis ab astris proveniens humanis corporibus per influxum, lumine & motu communicata & impressa, partim evitabilis, partim inevitabilis: dico, Vis, quia homines ex ipso Syderum influxu experiuntur vehementem irritationem & propensionem ad rem aliquam, quam modò sequuntur, modò non; stellæ enim producunt in corpore quasdam temperies, seu qualitates, ex quibus nascuntur passiones, per quas anima indirectè inclinatur ad bonas vel malas operationes: dico, partim evitabilis, partim inevitabilis, quia cum voluntas humana libera sit, quamvis sensu moto à stellis ad consentiendum appetitui alliciatur, potest tamen non assentiri, sed quia passionibus sensitivis sæpè trahitur, solet appetitui obedire; reliquit quidem Summus Opifex hominem in manu consilii sui, &, ut inquit Ecclesiastes c. 17. creavit illis scientiam Spiritus, sensu implevit cor illorum, & mala & bona ostendit illis.

Albertus cognomento Magnus lib. 2. cap. 3. de rebus metallicis duplex in homine assignat Operum principium, alterum est Natura, alterum Voluntas; Natura quidem regitur Syderibus, Voluntas libera est, sed nisi renitatur, trahitur à natura & induratur; & cum Natura moveatur motibus Syderum, incipit voluntas tunc ad motus Syderum & figu-

figuras inclinari; hoc probat Plato ex operibus puerorum, qui libertate voluntatis non adhuc renituntur naturæ & syderum inclinationi; illi enim ex syderum virtute præostendunt in se habilitates ad unam vel aliam artem, in qua si exercentur, perfecti efficientur, & si reluctentur, & alias exerceant, nunquam propter naturæ ad illam artem ineptiam, perfectionem consequuntur. Ex his patet voluntatem à natura trahi aliquando, & vim Fati fieri inevitabilem; aliquando verò Voluntas tanquam Regina appetitui dominatur, & spernit irritationem & inclinationem naturæ, & coadjuvante intellectu, in quo Sydera imperium non habent, vis Fati evadit evitabilis; etenim non ignoramus, quod neq; Angeli, neq; dæmones possunt liberum nostrum arbitrium vel impedire, vel minuere; possunt tamen boni dæmones actiones nostras bonas coadjuvare divinis expirationibus, aliisque auxiliis: mali verò possunt nos seducere, & incitare ad omnia mala, sed nunquam cogere: nam si hoc esset, ut dæmones possent liberum hominis arbitrium impedire, vel auferre, nulla esset apud Altissimum in hoc casu criminum punitio: hinc patet vim Fati esse evitabilem, & in hoc casu sydera posse inclinare, non autem urgere & cogere intelligendo, quo ad hominis appetitus tum bonos, tum malos, qui possunt vel impleri, vel coërceri, vel impediri, & hi sunt, Ira, Concupiscentia, Odium, Mala Voluntas, Invidia, & similia.

Sed restat nunc discutiendum, an Vis Fati exclusis corporis passionibus sit inevitabilis, cum videamus aliquos armis extinctos, alios capite mulctatos, alios suspensos, alios carceribus inclusos &c.

Ad hoc respondemus, quod juxta Ecclesiastem per ea, per quæ quis peccat, per ea torquetur, præcessit enim in his mala voluntas, unde in his & similibus, voluntas tracta est à natura, unde Fatum inevitabile evasit, non ex ipsa vi Fati, sed ex pro-

priis ipsorum passionibus, nam si bona fecissent, talia absurda non secuta essent.

Sed dices, multi in talia inciderunt sine culpa, ergo non sequitur Fatum evitabile esse.

Ad hoc Argumentum, quod multam in se continet difficultatem, duplicem dabimus responsionem: prima est desumpta ex Theologia, nam Justus Deus mala fieri aliquando permittit, ut appareat Divinæ potestatis excellentia, & Justitia Creatoris in eos declaretur, qui peccaverunt, & pœnitentiam non egerunt; hinc in libro Tobiæ scriptum est: Justus es Domine, & omnia judicia tua vera sunt: & Christus Salvator noster reliquit memoriæ mandandum: Estote parati, quia nescitis neque diem, neque horam; unde qui in talia incurrunt, inserviunt pro aliorum exemplo; sed quia Justi aliquando hæc sine culpa patiuntur, hinc sequitur vim Fati inevitabilem esse. Respondemus ad hoc, scriptum esse de viro justo: raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, & ne fictio deciperet animam ejus, unde quando Deus Justos sic mori permittit, facit ad hoc, ut eis amputetur licentia peccandi, qua forte uterentur, si essent in vita permissi.

Secunda responsio est Astrologorum dicentium, in Genituris occisorum, suspensorum, capite mulctatorum adesse fortes constellationes talia indicantes, quæ cùm superent humanam potentiam, necesse est homines sub his influxibus natos tali Fato subjici: ponunt, ly, necesse, quia cum rarissimi sint sapientes, qui eas prævidendo effugere possint, causas nempe tollendo, vel à quibusdam rebus se retrahendo, in his sequitur Fatum producere vim evitabilem, in aliis autem non.

Omnes ergo inevitabiliter Fato subjicimur, cum Fato orimur, vivimus, moderamur; fatales nobis sunt divitiæ, nobilitas,

bilitas, egestas, calamitates, adversitates; nescio autem, an nobis innata causa peccandi fatalis & inevitabilis sit. Quidquid sit, quæ proponit Hermes in fine libri sui de pietate & philosophia, audiat, qui habet aures audiendi, & benè percipiat qui habet intellectum, & qui potest capere, capiat. Omne animal propensius est hominibus in malitia, & huic conviva sit, & ideo gaudet illa: at hoc animal si didicerit, quod generabilis sit Mundus, & quod omnia per Providentiam & Necessitatem fiunt, imperante cunctis *Fato*, non multò deterius se ipso erit spernens universum, ut genitum, causas autem mali si in Fatum referret, nunquam abstinebit ab omni opere malo, ideo cavendum ab ipsis, ut ignoratione perseverantes minus sint mali præ timore occulti: quidquid sit,

Fata regunt Orbem, certa stant omnia lege,
longaque per certos signantur tempora cursus;
Nascentes morimur, finisque ab origine pendet.

TRIAS.

SPIRITUS SANCTUS.

TETRAGRAMATON ELOHIM. INTELLIGENTIA.

RATIO.

METATTRON.

CHERUBIM.

FIRMAMENTUM.

SPHÆRA OCTAVA.

FATUM MICROCOSMICUM INTERNUM.


FATALIS est hominis tum formatio, tum ortus; nam vix ex utero Matris egressus astrorum fatales influxus non tantum attrahit, sed adeo fortiter imprimuntur in ipso, ut, nisi fiat compositi dissolutio, non cesset Fatum agere in ipsum. Varii quidem sunt astrorum influxus, prout est dissimilis tum hora natalitia, tum diversa Planetarum loca, qui modò se beneficè, modò maleficè respiciunt, modò sunt in suis domiciliis, exaltationibus, facie, terminis, directi, veloces, modò stationarii, tardi, retrogradi, peregrini, in suis casibus & detrimentis. Varium clima, diversus Horoscopi gradus, varia Poli elevatio, homines magis vel minus iratos, concupiscibiles, mites, dolosos, vafros, simulatores, mansuetos, beneficos, homicidas, fures producere solent: Signa tamen aliqua Fati ex ipsa nativitatis horâ non tantùm inveniuntur, sed experiuntur, verificantur & comprobantur; hoc autem ex statu Planetarum in Themate, nam vel beneficus, vel lætus conspicitur Nati apparatus, ut sit ad altiora sublevandus; vel lugubris, ut sit occidendus, capite mulctandus, carceribus intrudendus, suspendendus, submergendus &c. hoc est in homine invisibile Fatum; visibile tamen solum Sapientibus, sed non omnibus, sed quibus data est desuper intelligendi facultas: hoc ostendere mihi visum fuit, verissimisque, lugubribusque viginti comprobare exemplis, sed

Quo Fata trahunt, retrahuntque sequamur.

Genitura

GENITURA I.


Joannes Maria Viſcontius, Dux Mediolani Secundus.



Hic impius anno ætatis duodecimo Regnum hæreditarium & firmum accepit, eſt enim Regulus cum Saturno. Mars Solem in Culmine de platico oppoſito feriens, & Lunæ in Horoſcopo cum Corde Scorpii ſtella violenta, & cum cauda Draconis, violentam mortem decreverunt; anno ergo ætatis 24. pervenit Luna, & Aſcendens directione ad quadratum Solis, & in Revolutione erat Mercurius cum cauda, & Luna partiliter juncta Saturno in Tauro cum Pleiadibus, & Mars erat in ſuo caſu in duodecima hoſtium occultorum, Aſcendens autem quintus Leonis gradus, & eſt Signum Nonæ radicis, quod ad Sacra & Religionem attinet; cum ergo multis crudelitatibus uſus eſſet, ut pueros etiam canibus edendos exponeret, à quibusdam Patritiis Mediolanenſibus duplici vulnere occiſus eſt in Templo S. Gottardi anno 1412. die 16. Maij.

GENITURA II.

Galeaz Martia Sfortia Viſcontius, Dux Mediolani Quintus.



Luna cum Corde Scorpii & Caudâ Draconis in Jovis oppoſito, & platico quadrato Martis afflicta violentam mortem decernit, & cum ſit domina Nonæ, Religionis contemptorem & deceptorem demonſtrat; alter quidem Nero, ſed populari Juſtitia longè melior, Princeps tamen Sapiens, qui Muſicâ & Picturâ delectabatur, crudelis verò & impius: nam cum Sacerdos quidam ipſi vaticinaretur vix ad annum undecimum Regni eſſe perventurum, fame necatus fuit; alios vivos ſepeliebat, & his ſimilia. Anno ergo ætatis 32. perfecto, cum Aſcendens ad Martis quadratum, & Jovis oppoſitum perveniſſet, à tribus civibus conjuratis, die S. Stephani, in Templo huic Divo dicato, tredecim vulneribus confoſſus eſt. Anno 1477. Regni verò decimo cum menſibus novem, & diebus 19. Vaticinio Sacerdotis verificato.

GENI.

GENITURA III.


Hieronymus Savonarola.



En in cassim hostem, quo infensiorem non habuit Astrologia: multa scripsit volumina lectu digna. Saturnus enim cum Venere in Septima cum Spica Virginis reperitur: talis enim constitutio facit Theologos, verùm habitos hæreticos: erat Mercurius in corde Solis, unde studium & eruditionem, sed quia in septima, & prope Saturnum, dignitates denegarunt: luminaria in signis violentis, Sol cum Saturno in Septima, Mars cum Luna in Cœli medio Ascendentis, & octavæ dominus mortem publicam & violentam decreverunt. Igne periturum prædixerat insignis illorum dierum Astronomus, præsagiique vanitatem viribus omnibus verborum demonstrare miser conabatur, sed incassum, exitus enim comprobavit: nam jussu Alexandri VI. Florentiæ ob Religionem anno 498. die 23. Maii primùm laqueo suffocatus est, & postea combustus, sic lucem attulit scientiæ, quam tantundem contenderat sub umbra vanitatis involvere.

GENITURA V.


Ioannes Picus Mirandulæ Comes.



Hic eſt Aſtrologomaſtix. Vir quidem generis nobilitate, ſplendore, doctrinaque inſignis: hoc autem demonſtrant quatuor Planetæ in ſuis dignitatibus, & defluxus Lunæ à Sole ad Mercurium; cum autem Geniture Dominus ſit Saturnus in propria domo cum Mercurio, acre decrevit ingenium profundiſſimamque memoriam, & in ſtudiis perſeverantiam, ſed quia Luna in Saturni & Mercurii quadrato, & in octava turbidum & inſtabilem procreavit, inſaniam redolentem. Scripſit ergo libros XII. contra Aſtrologos (quia tres vaticinabantur mortem anno ætatis 33.) quos Mercurius cum Fomahand Immortalitati conſecravit: brevis ergo vitæ hominem demonſtrant Luminaria in locis cadentibus, & in ſignis fœmininis, quamvis Luna ſit in ſua exaltatione, eſt tamē partiliter cum violenta ſtella Caput Algol in platico Martis oppoſito, & quadrato partili Saturni, platico Mercurii malefici facti ex conjunctione Saturni; amplius Antiſcium Lunæ pulſat quadratum Martis, & Antiſcium Martis eſt cum Saturno in quarta (& non eſt, ut dicit Cardanus, quod niſi Luna foveretur ſextili Solis, mortuus eſſet in infantia, hic enim radius exilis eſt, & parvi roboris) cum autem Mars ſit Septimæ Dominus, pervenit directione Horoſcopus ad ejus conjunctionem, anno ætatis 33. ferè completo, unde mortuus eſt, & ſic Uno experimento XII. libris exiſtimarunt Aſtrologi reſponſam ſatis.

GENITURA VI.

Hieronymus Cocles Bononiensis, Medicinæ distillator, Chyrurgus, Physionomista, Chyromanticus & Geomanticus eximius.




Hic litterarum ignarus, multarum artium divinatoriarum scientia imbutus (res quidem admiranda) librum de Physiognomia & Chyromantia latinâ linguâ descripsit, diem & genus mortis prævidens armavit se, cum nesciret quem haberet inimicum, & eadem die sibi prævisa, clavâ ictus occidit, à Bentivolis Urbis Dominis, quia prædixit brevem dominatûs durationem, ut postea evenit: moriens reliquit 46. virorum tabellam, qui violentè erant perituri, nec ullus (præter duos, qui tempore Cardani vivebant) ab hoc genere mortis vindicatus est.

Mercurius ergo cum capite Draconis in sextili Martis Domini Genituræ in sua exaltatione existentis magnam præstat ingenii subtilitatem, & cum sit in sextili Lunæ in Tauro, dat propensionem & acuit ingenium ad divinationem; an verò fuerit naturalis, dubito. quia Mercurius est in Piscibus, ubi Magos denotat: mortuus est ergo violentè, quando Luna pervenit ad Mercurii quadratum, & ascendens ad corpus Martis, imo Luna in Septima cum capite Medusæ violentam mortem designavit anno 1504. ætatis ejus 37.

GENI.

GENITURA VII.

Franciscus Castelli de Rio Dominus, Cardinalis Papiæ.



Hic erat Legatus in Civitate Felsinea, unde Bentivoli exules ab inimicis accersiti, per portam S. Felicis ingressi sunt: hoc audito Cardinalis cum paucis militibus aufugit tota nocte, super equum velocissimum Ravennam perveniens, semimortuus ex itinere à Duce Urbini Francisco Maria de repente 16. vulneribus confossus est anno ætatis 43. cum mensibus ferè octo, ex directione Ascendentis ad oppositum Martis in octava existentis: demonstrant hoc etiam Stellæ insignes in Figura: Caput Algol & Pallilitium in culmine, cor Leonis in Horoscopo. Sol Dominus Ascendentis in quadrato partili ejusdem in quarta in Scorpione, cum Stellis Lancis Australis de natura maleficorum, & Luna in quinta cum Cuspide Sagittarii de natura Martis & Lunæ; hæ enim Stellæ honores insignes demonstrant cum exitu infelici, maximè quando à beneficis non adjuvantur, ut in præsenti genitura.

GENI-

GENITURA VIII.

Andreas Ruttellius Cæsaris Maximiliani Primi Consiliarius, & Quæstor Ærarius Superioris & Inferioris Provinciæ Hohembergicæ.




Exemplum non præcedenti dissimile. Tot Planetæ in signo Mercuriali ad Medium Cœli Trinum habentes, demonstrant tum ingenium, doctrinam & honores: anno enim ætatis 19. Friburgi, Brisgoiæ primam Lauream adeptus est; anno 29. Stutgardiæ in Senatorum ordinem receptus, & 30 Consul factus est; semper autem in Fortunæ augmento ex morte quorundam Baronum Greisensteinensium adeptus est Quæstoratum Hohembergicæ ditionis, unde incurrit in odium quorundam Comitum & Nobilium, qui his mandatis subjecti erant: hinc cum Rotenburgum equitaret, in itinere à quodam Comite irato & loricato insidiosè opprimitur, & balista venenato telo ad illia quatuor digitis supra Umbilicum ad sinistram trajicitur, aufugiens impius ipse propriis manibus telum extrahens Cæsari latrocinium per litteras certificans die sequenti moritur 28. Martii Anno 1517. ætatis 42. mense 7. ex directione medii Cœli ad quadratum Mercurii Dispositoris domini Ascendentis. Stellæ autem Insigniores se habent ut in præcedenti genitura; observatur tamen Saturnus cum Hercule violentum exitum telo tribuere, sic Luna cum Stellis Cuspidis Sagittarii, Mars verò Dominus Nonæ in tertia, & cauda Draconis in Nona, in itinere violentia grassatorum, quia verò in Libra læsionem in inferiorem ventrem designat.

GENI-

GENITURA IX.


Camillus Trivultius



Et hic violenta morte extinctus est: cauda Draconis in Ascendente Dominus ejus cum Luna & Sole prope caput Medusæ, Mars autem in septima de opposito affligens Horoscopum, de quadrato verò partilissimo Venerem, Saturnus in quarta in quadrato Ascendentis brevem vitam, violentam mortem designant. Anno ergo ætatis 36. Sol directione pervenit ad quadratum Martis, & in revolutione Mars redit ad Septimam, Saturnus verò erat in Ascendente; bellici instrumenti ictu crure toto ablato expiravit.

GENITURA X.

Nicodemus Frischlinus Comes Palatinus Cæsareus.



Vir quidem Celeberrimus, cujus multa extant volumina. Mercurius in Signo aëreo, nec non Sol & Mars præstantia tribuunt ingenia, quos adjuvat receptio Veneris ex domicilio cum Mercurio. Violentam verò mortem decernunt luminaria tum in signis violentis, tum Maleficorum conjunctione, & quadrato, Sol conjunctione Martis, & quadrato Saturni & Lunæ affligitur, Luna verò conjunctione Saturni, & quadrato Martis & Solis. Sol & Mars in signo aëreo, Luna & Saturnus in terreo, & cauda Draconis in nona cum capite Medusæ, Saturnus autem in quarta: cum autem Sol sit dominus duodecimæ in suo casu inimicos nobiles & potentes, nec non carceres designavit: captus ergo est Moguntiæ anno 1590. mense Aprilis, & inde in Wirtembergiam adductus, Novembris die 29. ejusdem anni, nocte ante diem S. Andreæ proxima ex captivitate Hohenauracensi effugere tentans, à perfido fune, quem ex pannis confecerat, desertus, de celso muro in aliam atque aliam petram subjectam præcipitatus, partibus corporis miserabiliter confractis interiit, anno ætatis suæ 43. mense secundo.

GENI-

GENITURA XI.


Henricus Secundus Galliarum Rex.

1519
Martij
D.H.M.
30.19. 9.P.M.
Pol.48.

Violenti casus indicia in figura manifestè conspiciuntur: primò infelix est locus Luminarium, & si Sol sit in propria exaltatione, tamen in cadente Cœli loco in duodecima, unde quamplurimi, & Nobiles & Plebei & fœminæ huic Regi inimici fuêre: affliguntur ergo Luminaria, & maximè Sol quadrato platico Martis, opposito Jovis, & quadrato Saturni, Marsque in proprio casu est in opposito Saturni, quadrato Jovis & Solis, hostiliter ergo omnes Planetæ excepto Mercurio se respiciunt, Lunaque est sub radiis cum Venere combusta, brevis ergo vita decernitur, exitusque violentus; cum enim Sciamachiam hastiludiis animosè exerceret, hastæ fragmine per bucculam penetrante, ei oculus sauciatur, susceptoq; exitiali vulnere, anno 1559. die 30 Julii hora quinta circiter P. M. deinde dolore acerrimo subsecuto, postquam per undecim dies decubuerat, inter populorum mœrores die decimo Augusti expiravit: hoc tempore Ascendens directione ferebatur ad corpus Martis cum Hercule Stella violenta, & Luna ad quadratum Mercurii.

GENITURA XII.

Henricus Tertius Galliarum Rex.




Felix constitutio, infelix successus. Sol dominus Horoscopi in suo casu cum Mercurio in sextili Ascendentis, qui habetur pro quadrato, cum sit in signis longarum Ascensionum. Mars respicit de quadrato Jovē in sua exaltatione, ille vero in suo detrimento. Luna in sua exaltatione cum Capite Medusæ in Veneris opposito & detrimento. Stellæ insignes in angulis, divitias, honores, Regnorum acquisitionē demonstrant, infortunia verò quamplurima tum ex Saturno in Septima, tum ex quadrato Martis & Jovis, tum ex opposito Lunæ & Veneris apparent, ita ut profugus ex Polonia, Regno exutus sit; odium etiam Parlamenti, Ecclesiasticorum & Cardinalium expertus est. Tragicus ergo finis apparet ex quadrato Saturni ad Lunam & Venerem, nec non ex ipsis Stellis insignibus in angulis. Mars autem in Libra dat vulnera in inferiorem ventrem, & cauda Draconis in octava cum Martis Antiscio partili ex rebus venenatis: auspicatur ergo ex dominis octavæ, Saturnus pro Cuspide, Jupiter pro signo subsequente, cum autem sit in XII. dat mortem ex inimicis occultis, cujus verò generis ex utroque apparent, Ecclesiastici, Monachi: anno ergo 1589 die 22. Julii stylo veteri in Arce S. Clodovæi ab effreni Monacho Jacobo Clementi stylo oblongo & venenato in ventre inferiore vulneratus obiit die sequenti, ætatis anno 37. mense ferè decimo.

In Revolutione Mars dominus octavæ erat in duodecima in Leone cum Regulo, ecce periculum mortis ex inimicis occultis; cauda erat in septima, & in octava oppositio Solis & Veneris, & quadratus Lunæ ex Capricorno: tunc temporis Luna dirigebatur ad Trinum Martis neglecta latitudine. Die quo fuit vulneratus, Sol transibat gradum Ascendentis, Luna verò oppositum Martis radicis, & in Revolutione octavam domū mortis.

GENI

GENITURA XIII.

Henricus Quartus Galliarum Rex.




Hoc est in Parœmia non sine causa dictum. Astra nolentem trahunt, volentem ducunt. Rex iste à Mathematicis admonitus, ut sibi caveret in Anno 1610. Maij die 10. P.M. quia maximum imminebat periculum, ut alter Cæsar propriam cladem evitare contemnens, in proprio curru ab impiissimo Sicario vulnere occisus est.

Mars Genituræ Dominus cum cauda sub radiis Solis cum Mercurio in propria exaltatione cum quadrato Lunæ Ascendenti oppositæ violentiam annuntiat; & Jupiter in XII. in ipsorum quadrato, inimicitias Ecclesiasticorum, Dominorum Parlamenti, Nobiliumque, excommunicatus enim fuit à Sixto. V. anno 1585. Mense Septembris. Venus in secunda plurimas paravit divitias, & amplissimum Regnum, non tamen sine violentia & labore propter Martem secundæ dominum; & quia Luna in Ariete est, vulnera in faciem notat; anno enim 1594. die 17. Decembris à Joanne Castello in parte superiore labiorum & dentium vulneratus est, animo penitus occidendi ex instinctu Monachorum, hominumque Saturninorum: cum ergo Luminaria sint in signis violentis afflicta, & Pleiades in Octava, nec non Caput Algol, Venus verò octavæ domina in suo detrimento & domo Martis, violentum exitum decernunt: & quia Sol, Mercurius, Mars & Cauda Draconis sunt in tertia itinerum brevium, Mors fuit in via; tunc autem dirigebatur Ascendens ad quadratum Saturni, Luna verò ad violentam Stellam Pallilitium devolvebatur.

GENI-

GENITURA XIV.

Sebastianus Rex Portugalliæ.



Dum Rex egregius Muleium Mahamethum, Regnis Fessano & Marocino à Patruo Abdamelecho expulsum, conatur restituere, in conflictu in Aphrica vulneribus duobus in capite, totidem in facie, multisque aliis acceptis, cadens ex equo moritur.


Mars dominus Ascendentis in tertia cum Mercurio, à Sole combustus in signo humano violento in Lunæ opposito, violentam mortem decernit; amplius Cor Scorpii in Ascendente, Aldebaran in Septima, ubi Pleiades & Domina Septimæ cum Cauda, Luna cum Corde Leonis, & in Ascendente & Septima cadunt quadrati Martis, Solis, Mercurii & Lunæ: debilis ergo figura, ex qua vitæ brevitas, violentusque exitus demonstratur. Venus cum cauda in secunda cum sextili Saturni, divitias, non sine detrimentis: moritur ergo die 4. Augusti anni 1578. quo tempore Ascendens dirigebatur ad quadratum Saturni; ætatis anno 24. cum dimidio circiter.

Apparuit Cometes circa Regis Horoscopum, qui in 14. gradu Piscium evanuit loco Saturni, & demonstravit finem Regis & Regni.

GENI-

GENITURA XV.

Hermannus Christophorus Ruosnuormb S. Cæsar. Majest. Consiliarius Bellicus & Copiarum Præfectus, Boiorum Ducis Militum Ductor & Cubicularius.




Omnes Planetæ excepto Saturno sunt in Signis humanis & Mercurialibus, unde singularis industria, summa humanitas & eloquentia, præsertim in arte militari: hinc plurimos honores est consecutus, nec non divitias ex parte fortunæ in Horoscopo, Jupiter enim est, tum Medii Cœli, tum Horoscopi dominus, qui reperitur in Septima in suo detrimento; Mars autem de quadrato respicit omnes in septima, & cum sit in Geminis, sanguinis effusionem significat: hic enim propria manu confodit 24. homines, & salvus semper fuit, quamdiu Mater supervixerat, ita ut à nullo armorum genere offendi potuisset, quod Magicis artibus hoc factum esse demonstrant Cauda cum Marte in Geminis & Caput cum Sagittario, ex Jove, Venere, aliisque in septima singulari Victoria; demonstrant tamen hi Planetæ benefici inimicos potentes, & cum Luna sit in septima & in Virgine, graves afferre solet calamitates, & mortem violentam, & inopinatam Saturnus verò cum Corde Leonis capitales & morte finituros, Cauda verò cum Aldebaran de natura Martis cum Marte, qui est in partili quadrato Mercurii, Solis & Jovis in Signo humano, mortem ab hominibus vel causa hominis significat, cum autem Mercurius dominetur loco Martis, & sit cum Sole, dat illustre genus mortis. Mandato ergo Cæsaris & Magistratus Judicio, in Curia Veteris Pragæ, publicè & solemniter decollatus est, tempore quo Horoscopus perveniebat ad Caudam Draconis, anno 1605. die 19. Novembris stylo veteri.

GENI-

GENITURA XVI.

Jacobus Rustici Filius.




Mars cum Regulo, Sol cum Corde Scorpii Dominus Horoscopi: Caput Algol & Pleiades in Culmine, cum Oculo Tauri, Jupiter, Mars & Sol in signis igneis, & major pars Planetarum in signis feralibus, mortem ex igne, vel ignitis demonstrant: anno ergo 1592. die 6. Martii, ætatis anno octavo, mense secundo cum dimidio circiter, Horoscopus perveniens ad corpus Martis necem intulit; Globo ergo tormentario trajectus est in venatione ab incauto venatore putante, ubi hic miser erat, prope dumetum latitare vulpem.

GENI-

GENITURA XVII.


Veida Puella Illustris.



Violentè extincta est hæc puella. Dominus enim tam Cuspidis, quàm signi subsequentis octavæ sunt in signis aëreis, Saturnus autem in quadrato Lunæ; significant ergo mortem ex rebus, quæ ab aëre procedunt, vel cadunt ab alto; cum autem Jupiter sit in opposito Mercurii, Mercurius autem Dominus tam loci Saturni, quam Lunæ, & in Ariete cum Marte in Cœli medio in igneo signo, ex rebus, quæ ex Cœlo veniunt, mortem annunciat. Fulmine ergo tacta periit, tempore quo medium Cœli pervenerat ad corpus Martis, anno 1630. die 22. Maii, ætatis anno 13. cum mensibus circiter duobus.

GENITURA XVIII.

Gustavus Adolphus Rex Sueciæ.




Alterius Martis in terris Austriacorum hostis potentissimi hæc est Genesis rectificata; nil ergo mirum, si tot Victoriis præditus fere in Immortalem transierit, quia Stella Nova anni 1572. fuit in ejus Horoscopo. Sol in regio signo, in Ascendente Cor Scorpii, in Culmine Spica Virginis altos paraiunt honores, nec non divitias ex Fidicula in secunda, Mercurio, Venere, Jove & Parte Fortunæ; cum sextili Solis, quadratus tamen Martis, sicuti oppositus Saturni, detrimenta aliquando attulit; cum autem Jupiter Dominus Ascendentis, tum quadrato Martis, tum Saturni opposito in signo violento, & Saturnus sit in octava cum Corde Leonis, in Ascendente verò & Septima sint Stellæ violentæ, non tantum brevem vitam, sed violentam mortem significavit: locus tamen Martis in duodecima cum Trino Lunæ pro inimicorum destructione Regi multum profuit: mortuus est in conflictu, anno 1632 die 16. Octobris, ætatis 37. mense decimo, accepto prius vulnere in brachio, & alio, sub humero dextro.

Hoc tempore directiones hæc exitum demonstrabant. Sol ad Saturni oppositum, & quadratum Martis, Luna erat directione inter Pleiadas, & Medium Cœli cum Marte, & quadratis Jovis & Saturni.

GENI-

GENITURA XIX.


Henricus Dux Montmorantii.



Infelix Princeps, non tam lugubris Genesis, quàm exitus: verùm causæ fatales conspiciuntur manifestè & primo stellæ violentæ sunt in angulis primæ & septimæ, Mercurius cum Capite Medusæ & Saturnus cum Corde Leonis, & in octava Hercules. Secundò Luna domina octavæ in signo violento in quadrato Solis, & opposito Saturni cum stellis in Andromeda, ipseque Saturnus in octava in quadrato Solis & Mercurii in signis fixis; cum autem Solus maleficus sit supra terram, cæteri Planetæ sub terra, brevis vita apparet, & cum Luminaria in hoc casu non possint esse Aphetæ, Pars Fortunæ in nona in hac dignitate constituitur, quæ cum sit in opposito Martis. tempore mortis directione pervenit ad Antiscium Martis, quod pro corpore habetur, & medium Cœli ad quadratum Saturni, cui succedebant radii oppositi Mercurii: anno ergo ætatis 37. cum dimidio, die ultima Octobris anni 1632. capite mulctatus est, damnatus ex crimine læsæ Majestatis.

GENITURA XX.

Lazarus Mocenicus, Eques, S. Marci Procurator, & Maritimæ Claſſis Venetæ Imperator.



Totam gloriam tribuunt Anteceſſores Noſtri L. Tarnucio Firmiano, qui non tantum ex Romuli geſtis atque fortuna, diem Conceptionis & Nativitatis adinvenit; ſed ex urbis fortunæ ſucceſſibus Romæ Natalitium diem conſtruxit. Res quidem mira, ſi vera eſt: nil ergo poſteris gloriandũ eſt? cum anno 1657. die 29. Maii, lætus Nuncius de victoria potita contra ſexdecim naves Turcarum, Venetias perveniſſet: ego inſtanter rogare feci hujus Equitis conſanguineos, an apud ipſos eſſet Natalitium tempus, reſponſum autem fuit non habere, ego autem ex Libro Aureo, unde

unde Patricii Veneti describuntur, Annum & diem desumpsi, ex quo, meo Marte Figuram erexi, & mortem prædixi, quæ post paucos dies innotuit; ex hac enim Figura & Revolutionibus Anni 1656. & 1657. & directionibus ad Horoscopum Cordis Scorpii & Quadrati Martis, alicui Professori, si hæc scrupulosè examinare velit, omnia fient clara.

Hic erat staturâ non nimis altâ, facie oblongâ cum cicatricibus ex variolis, capillis multis subnigris crispis, potius macer, quam crassus, iracundus, variis periculis se immiscens, quæ omnia dat Ascendens, & ejus dominus; cum consanguineis lites & tribulationes habuit, Mars enim est cum Cauda in quarta, & Saturnus tertiæ dominus, est in decima in suo detrimento, unde dat odia inter fratres; alearum etiam ludo delectabatur, & in ipso erat majori ex parte infortunatus, sic & in bonis, quæ habuit, dissipavit, Saturnus enim in decima retardat bona ferè usque ad annos triginta (res aliàs observata, & in hac apparet) ex receptione verò Jovis & Mercurii apud Magnates gratiam est consecutus, & ab omnibus charus habitus; Jupiter enim est in Cœli medio cum capite Draconis; periculis variis submersionis subjectus, & hoc ego semel vidi: hoc dat Ascendens signum aqueum, & dominus ejus cum Cauda in signo aqueo, Saturnus verò à Lucida Hydræ parum distans. Luna domina Nonæ in nona, sic Venus & Mercurius in ipsa longa itinera demonstravit, & quia in signo aqueo, per aquas; cum autem signum Nonæ sit Tropicum, decernit ea ex necessitate & quæstu alimentorum, tanquam ergo à sorte derelictus Venetiis discessit, anno ætatis suæ 29. quo anno Profectio medii Cœli erat ad tertiam itinerum, sub tutela Generosissimi Laurentii Marcelli, tunc Imperatoris, in Navi, tanquam suam sortem experturus, se consignavit; evenit autem, ut succedente maximo conflictu cum Mahumethanis apud Bosphorum Thracium anno 1656. die 26. Junii, bellicosissimus Mocenicus primus excitarit inimicum ad prælium, & victoria posita, in fine prælii, defuncto Marcello, ipse Mocenicus

oculum amisit dextrum ex pila plumbea, quæ ex globo tormentario ejecta, cassidem fortiter compressit, unde ex illo ictu oculus offensam & amissionem passus est; hoc ergo demonstratur ex Genitura, quia Mars est cum Stellis nebulosis in Lino Piscium, in quadrato platico Solis, qui oculo dextro præest, & est constitutus in via Lactea cum Nebulosa Orionis; amplius in Revolutione Sol erat in Ascendente cum Mercurio, Mars iterum cum Cauda in Cancro in opposito partilissimo Lunæ & quadrato Saturni, qui erat cum Crinibus Berenicis Stellis Nebulosis, unde mirus apparet cum Revolutione Radicis consensus; multas autem divitias acquisivit, quia Luna cum Parte Fortunæ & Capite Draconis erat in octava Mortuorum; Venetias ergo petens die primo Augusti anni 1656. lætum Nuntium de tanta Victoria afferens, fuit electus Eques Serenissimi Senatus, & quia erat defunctus Marcellus, paucos post dies ipse electus fuit; in hoc ergo tempore honorum pervenit directio Horoscopi ad regiam Cordis Scorpii, Sol, ut dixi, erat cũ Mercurio in sua domo in Horoscopo laudes, honores & gloriam parans; discessit iterum Venetiis, & aliqua Turcarum Oppida debellavit, super Insulas Archipelagi manum dilatavit, & obedientes ad tributum reddidit: sub hoc autem Invictissimo Marte Respublica Veneta & Creticum Regnum, Turcarum annihilationem & pacem sperabant. Sorte tamen Venetiis infaustâ, accidit, ut mense Maii 1657. die 3. aliam consecutus Victoriam, hac sorte non contentus, propriæ vitæ contemptor, voluerit aliquas rapere triremes, quę terræ erant propinquę: tunc à Turcis bombardis accensis, aliquot pilæ ferreæ percusserunt triremem Mocenici, & in ipsa pulvere pyrio accenso, mediam absumpserunt, & cadens antenna Invictissimum bellatorem percussit, & sic casu & igne miserè extinctus est, die 19. Julii, horâ 23. circiter.

Genus Mortis dat Saturnus in sublimi Cœli loco in suo detrimento, ex casu rerum ab alto. Mars cum Cauda Draconis in quarta violentam mortem, tum ipsum Ascendens signum violentum,

lentum, & Profectio Horoscopi erat ad octavam mortis locum Solis, & quadratum Martis: in Revolutione verò Annua sic erant maleficè constituti Saturnus in Horoscopo, Mars in Occasu, Luna verò cum Capite Medusæ, & quod peius est, directio Ascendentis ad quadratum Martis.

Cum ergo 1657. die 29. Maii, pervenisset lætus Nuntius de Victoria habita, die primo Junii (nota sortem post sortem) eligitur Divi Marci Procurator, ex morte Joannis Barbadici Procuratoris, quæ incidit tempore Nuntii: hoc demonstrat in Revolutione Sol in medio Cœli cum Jove, & Mercurius in undecima cum Venere copiam amicorum & benedictiones mulierum; affligebatur verò Sol & Jupiter quadrato Martis, qui cum esset in septima, demonstrabat inimicos apertos, quos est expertus tùm ibi, cùm quidam Juvenes Veneti Patritii pugnare noluissent, tum Venetiis, & Saturnus addebat invidos & malignos, ipseque Sol duodecimæ dominus in decima, Nobiles & Magnates afferentes oppositiones & difficultates in hoc honore & dignitate, cum autem Decima sit Victoriæ domus, accidit ut illi ipsi Strenuo Viro Procuratoriam dignitatem concessserint; cum autem tandem pervenisset Venetias infaustus Nuntius, invaluêre maligni, accusantes ipsum de nimiâ temeritate & vitæ contemptu: alii verò cum tota Civitate accidens commiserati sunt deplorandum, & testimonium dedit totius luctuosa Civitatis pompa.

Hactenus de invisibili Fato in omnibus impresso Exempla adducta sufficiant; ejus autem vis non videtur omninò inevitabilis, quia multi sapientes prævisо aliquo accidente fatali aufugerunt ab ipso, vel si in ipsum inciderũt, sublatis aliquibus causis totam effectuum vim non sunt experti; alii verò etiam prævisо aufugere non potuerunt, res patet in Stefflero, Pico, Henrico IV. aliisque; sed non tacendum est Exemplum Valentini Nabod, admirabile quidem, Fati inevitabilitatem confirmans.

Hic

Hic erat eximius Mathematicarum Professor, & observavit ex directione Ascendentis ad hostilem Martis aspectum, periculum vitæ sibi imminere, domi ergo se inclusit, & cum ibi per aliquot menses mansisset, Dominus domus, cum non fuisset solutus de locatione, videns domum tanto tempore clausam, putavit eum in Germaniam profectum esse, accepto ordine à Magistratu, diruptâ januâ, repertus est fœtens, multis vulneribus confossus; erat autem quædam fenestra aperta, per quam (credunt) latrones ingressos, neminem videntes esse, solum illum inventum trucidasse; successus fuit Patavii: quid ex his deduci potest?

Prudens futuri temporis exitum
caliginosa nocte premit Deus,
ridetque, si mortalis ultra
fas trepidat.

MONAS.

MONAS.

INDEPENDENS.

E L. *MAGNIFICENTIA.*

JUDICIUM HUMANUM.

METATTRON.

T H R O N I.

SATURNUS.

SPHÆRA SEPTIMA.

FATUM MICROCOSMICUM EXTERNUM.

NON cessat agere fraudulenter *Fatum*, quin aliquis impressus Character externè saltem in hominibus conspiciatur; res quidem mira Sapientibus cognita, ab insipientibus non observata; hinc Divinatoriæ ortæ sunt Scientiæ. Physiognomia ex inspectione Faciei, ex lineis frontis Metoposcopia, ex lineis Manuum Chyromantia. Si Physiognomiam consideramus, Scientia est prædicendi aptitudines naturales ad affectus, ipsosque mores actuales, multi enim potiùs sensu & appetitu vivunt, quam ratione; per ipsam ergo Animæ affectus & mores innotescunt, qui cum sint in parte sensitiva, tam animalibus, quam hominibus sunt communes. Subjectum est tota facies, ex qua sua haurit vaticinia, unde primò observatur color: si flavus & albicans, iracundum notat, sic viridis, obscurus aut niger: rufus perniciosum variisque moribus præditum; rubeus astutum, si nimis est: albus enim & subrubeus fortem & animosum. Vehementer albus ignavum, timidum; pallidus imbellem; fuscus pallido permixtus loquacem, voracem, intemperatæ iræ & linguæ, ad insaniam vergit: moderatè rubeus velocem cum docili ingenio, cui verò tam nasus, quam maxillæ hepatico colore rubent, crudelem, libidinosum vel vinolentum notat.

Caput magnum, si corpori non est proportionatum, sed præter formæ debitum, stolidam, fatuum, indocilem hominem significat: si est proportionatum, ingeniosum; parvum, malum est, facit enim timidum, iram retinentem cum exiguo judicio & intellectu: sphæricum, instabilem, mobilem, invidum, avarum, importunum, parum scientem, crudelem, homicidam: breve, insipientem: longum aliqualiter protensum ad mallei formam, providum & circumspectum: pineatum sequens veram pyramidis formam, rapacem, inverecundum, audacem, temerarium. Optimum verò est, quod exactè rotundum, & utrimque paulatim depressum est.

Capillorum multitudo caliditatem, grossities multam fumositatem significat. Capilli plani humidum hominem, mansuetum,

ſuetum,frigidumque; criſpi in extremitate calidos & ſiccos; directi,ſpiſſi,rari,in capite erecti,inſidioſum, effœminatum, timidum; compreſſi fronti eminentes fortem,animoſum;juxta tempora tenues & rari,frigidum & ſine viribus; denſi circa tempora & aures,calidum & libidinoſum; molles, rari & tenues fœmininum,hebetem,pigrum,& quando fuerint magis rari, ſubdolum & aſperum.

Frons magna tardum,ſi nimis eſt,ſi valde parva,indocilem: rotunda inſenſatum, hebetem, iracundum; quadrata magnanimum,nimis lata ſtultum, parva & anguſta ſtolidum, indocilem; protenſa adulatorem, demiſſa triſtem, elevata liberalem, nimis rugoſa inverecundum: in temporibus inflata ſuperbum, iracundum,ingenio rudem.

Oculi parvi puſillanimem, magni pigrum & manſuetum, concavi maleficum,invidum. Eminentes fatuum,valdè aperti, impudentem: groſſi timidum: profundi malos mores; qui verò modò clauduntur,modò recluduntur, proditorem & pravum: velociter moti cum viſus acuitate latronem, infidelem, fraudulentum, quaſi ridentes luxurioſum, adulatorem,detractorem; crocei crudelem, deceptorem: cum maculis circa pupillam, malum hominem.

Naſus magnus, iraſcibilem: Aquilinus magnanimum,rapacem & audacem; Simus luxurioſum & impetuoſum: brevis cum ſimo furem & laſcivum: longus ad os protenſus, probum & audacem:acutus iracundum:parvus deceptorem: magnus cum decentia,bonum; vergens ad os,honeſtum,docilem & fortem.

Os latum,martialem: magnum & latum, iracundum, audacem; dilatatum ultra menſuram, voracem, immitem, impium,bellicoſum. Exiguum exterius prominens,proditorem, pravum; exiguum,fœmininæ naturæ eſt. Os cum parva clauſura & apertione, timidum, pacificum,ſed infidelem: anguſtum, modeſtum,ſobrium,pudicum,arcanorum retentorem.

Labia magna, ſtultum & hebetem, ſi carnoſa. Exilia, te-

nuia, subtilia, eloquentem; gracilia, mollia, magnanimum, sic relaxata: gracilia verò dura, iracundum. Labrum inferius superiore majus, stolidum: superius eversum gingivis discoopertis contumeliosum.

Vox grossa & sonora, eloquentem, bellicosum: acuta & remissa, timidum & invidum; acuta & fortis, iracundum. Acuta, mollis & rupta, timidum, effœminatum: tarda præcipitem, impudentem, inertem; dulcis invidum, suspiciosum; gracilis cum velocitate in verbis, improbum, stolidum, importunum: quibus verò incurrit in nares, ita ut resonent, malevolum & mendacem.

Mentum parvum, breve, invidum, immitem, insidiosum; acutum, fidelem; longum versus deorsum, acutum, versipellem: rotundum, mollem, effœminatum; prolixum, minus iracundum, loquacem verò, & aliquando sui jactantem. Cum fovea, vel duplex, libidinosum: in extrema parte divisum, ut duplicem exprimat formam, si immodicum est, dolosum significat: caro verò sub mento versus gulam, libidinosum.

Sed circa Physiognomiam, (cujus subjectum, ut diximus, est tota Facies,) satis, superque: si verò aliquis objiciat illud Christi à Joanne enarratum; Nolite judicare secundum faciem, sed rectum Judicium facite. Respondendum est, Christum intelligere de Judicio recto, quod non fit ex aspectu hominum, sed ex actionibus illorum, & ex rei veritate: multi enim fures, Sodomitæ, Fornicatores, Hypocritæ sub mentita facie Sanctitatis & bonæ vitæ, cauterizatæ verò conscientiæ, decipiunt homines, ingrediuntur domus aliorum, ut rapiant aliquid, & credulis mulieribus promittunt sedes in Cœlo, easque pretio vendunt, & his similia; de hoc autem judicio loquitur, & non de illo, quod fit per Physiognomiam.

Metoposcopia difficilis scientia est, in qua ultra judicium, ex quantitate linearum, earum positione, disruptione, obliquitate, mixtione cum aliis, difficultas exoritur in cognitione illarum,

rum, qualis deficiat; nam non omnes in frontibus hominum reperiuntur, sed paucæ, modò tres, modò una tantum: modum autem commensurationis ipsarum nondum video ab Auctoribus explicatum: hic autem verissimus est. Accipiatur Circinus, & ab angulis interioribus oculorum apud Nasum sumatur distantia, quæ in triplicem partem divisa, erit perfecta frontis longitudo: postea sumatur distantia à radice nasi ad Mercurialem, & sic ab una ad aliam, & dividatur Frons in quinque partes; prima erit à radice nasi ad Mercurialem: secunda à Mercuriali ad Veneream: tertia à Venerea ad Martialem: quarta à Martiali ad Jovialem: quinta à Joviali ad Saturninam; si verò super Saturninam aliquando alia linea appareat, illa vocatur Saturninæ Soror, vel linea Lactea, quæ est prope radices capillorum. Loca verò Luminarium sunt in superciliis, dexter locus Solis, sinister Lunæ. Noto, quod sit quædam discrepantia in positione linearum, quia aliqui dicunt post lineam Martis esse Solarem, & non Veneream, & inter cilia, & radicem Nasi si reperiantur lineæ post locum Mercurii, esse intelligendas, ut ad Venerem attinentes, quidquid sit, judicent alii, modus primus mihi magis videtur rationi consonus: quando verò aliqua ex lineis deficit, ex distantia supraposita apparebit, qualis sit.

Saturnina ergo (& erit regula aliarum) directa, continua, non tortuosa, nimis obliqua, aut disrupta longam vitam significat, fortunatum hominem in agricultura, stabilibus, hæreditatibus, facit taciturnum, avarum, invidum, laboriosum, dat memoriam, & tolerantiam.

Jovialis facit justum, optimæ complexionis, honestum, magnanimum, fortunatum in re Ecclesiastica, tribuit consilium, judicium & prudentiam.

Martialis bellicosum in armis, ludis, itineribus, Alchymia, operibusque aliis ex igne, sic Chyrurgia & Medicina fortunatum, fortem, intrepidum, temerarium; unde dat acutiem, promptitudinem, audaciam & iram.

Solaris, splendidum, virtute præditum cum vitæ longitudine, facit amicum Principum, Regumque, & dat dignitates sublimes ex illis, unde dat gravitatem, moderationem, continentiam & fastum.

Venerea significat vitam cum lætitia & tranquillitate, gaudia cum mulieribus, felix matrimonium, hæreditates ex ipsis, prosperitatem in rebus, lascivum, jucundum, hilarem, dat libidinem cum aliis voluptatibus.

Mercurialis sapientem facit, optimi ingenii virum, dat multiplicem scientiarum & artium cognitionem, ingeniosum, eloquentem in re litteraria, Mercatura, scripturis, & aliis fortunatum, aliquando mendacem, & contentiosum, præbet enim memoriam, & promptitudinem ad Scientiarum studia, & in illis addiscendis facilitatem & voluptatem.

Lunaris facit instabilem, boni tamen ingenii, industrium, agilem, promptum ad negotia tractanda, propensum ad itinera, maximè per aquas, unde facere solet Nautas vel Nuntios; plebeiorum amicitia conjunctum, fortunatumque in navigatione, rebusque ex aquis.

Hæc sunt prognostica ex ipsarum recta positione, si verò vix appareant, disruptæ sint, nimis tortuosæ cum Circulis, Semicirculis, Nævis, Characteribus, Catenis &c. totum oppositum, significant, & sic cognoscuntur Simulatores, Hypocritæ, Fures, Homicidæ, Insani, violentè perituri, sicuti apparet in linea Martis disrupta, & malè collocata; aliquando verò uniuntur una cum alia, & miscent significata; linea enim Saturni juncta Jovi facit honestum, cautum, officiosum, placidum, prudentem, & dat bona in stabilibus; cum Marte bellicosum, seditiosum, tumultuosum, laboriosum, asperum, injustum, pertinacem: cum Sole minatur persecutiones à Principibus, carceres, infortunia; cum Venere facit immundi coitûs, sordidum; notat pericula & infortunia cum Mulieribus, nec non ægritudines in pudendis: cum Mercurio dat profundum ingenium & memoriam, facit ad scien-

ſcientias propenſum, melancholicum, cogitabundum: cum Luna dat pericula in aquis, caſum ab alto, ſuffuſionem, cæcitatem & malam famam. Linea Jovis cum Venere facit jucundum, Religioſum, Dei amatorem, dat dignitates Eccleſiaſticas, tales erant conſpicuæ in *Vrbano VIII.* Cum Sole facit generoſum, ſplendidum, amicum Regum, gubernatorem Civitatum, dat divitias ex dignitatibus: Martialis cum Sole dat pericula ex igne & ignitis, undè violentè moriuntur ut plurimùm, temerarium, præcipitem & homicidam facit; cum Venere verò adulteros, libidinoſos, & fœminas meretrices; cum Mercurio ſagacem, induſtrium, callidum, ſi tamen impeditur, furem, contentioſum, aleatorem, &c. & ſic de aliis, ſi ſapiens es, judica.

Metopoſcopiæ affinis ex lineis manuum ſequitur Chyromantia, ex qua hominum propenſiones, viſcerum robur atque complexio, pericula, divitiæ, & alia, quæ hominibus accidunt, tanquam in libro leguntur, unde non abſque ratione ſcripſit Job cap. 37. Qui ſignat in manu omnium hominum, ut ſinguli noverint opera ſua.

Variæ tamē ſunt lineæ ex quibus hæc deducuntur; quatuor verò ſunt, in quibus tota ars fundatur, ſcilicet: Vitalis, Naturalis, Menſalis & Epatica; ex his ergo aliæ oriuntur. Ex Vitali enim, & Naturali, & Epatica fit Triangulus; & ex parte, quæ eſt media inter Naturalem & Menſalem, incipiendo à percuſſione manus, dicitur Quadrangulus, percuſſio enim manus eſt inter Raſcettam & Menſalem: à Vitali verò, Epatica & Menſali fit concavum manus, & per hunc locum aſcendit à Raſcetta linea quædam verſus digitum medium, & dicitur Saturnina, ſic alia, quæ oritur inter Indicem & Medium, & terminat inter Annularem & Auricularem, dicitur Cingulum Veneris; aliquando verò quatuor lineæ principales ſuas habent Sorores, & tunc linea illa ſumit nomen ab illa, ſub qua invenitur: dantur etiam Montes, in quibus ſunt loca Planetarum, ante verò montem ſemper eſt radix, & poſt montem Juncturæ. Mons ergo Pollicis eſt locus

Veneris, Indicis Jovis, Medii Saturni, Annularis Solis, Auricularis Mercurii, in Triangulo est locus Martis, in monte manus est locus Lunæ; reperitur etiam aliquando linea quædam à Rascetta oriens versus Auricularem, & dicitur Via lactea, sic in manu, vel montibus, vel juncturis inveniuntur Characteres Alphabetarii Planetarum, vel semicirculi, Circuli, Stellæ, Cruces, & alia hujusmodi, quæ sunt à Professoribus observanda.

Vitalis ergo linea oritur à corde, & longior est omnibus, si ergo est continua, profunda & boni coloris, caloris naturalis bonam temperiem significat, sic longam vitam, paucas ægritudines; discontinua verò brevis, pallidi coloris, nimis subtilis, parum apparens, cordis passiones, iracundiam, morbos & vitam brevem notat, sed quia nulla alia est linea, ex qua possit metiri Vitæ humanæ quantitas, præter hanc ejus geometricam commensurationem tradam; & cum Tricassus & alii, modum non geometricum tradant, unde sequitur non esse perfectam, solum illa Goclenii veracior est: quidquid sit: accipiatur Circinus subtilis, æqualiter rotundus, ita ut illa extremitas, quę extenditur, sit altera subtilior, extendatur ergo perpulchrè manus, & unus pes Circini in medio radicis Indicis firmetur, alter verò ad medium radicis Annularis extendatur, & constituet lineam quadrantis, quæ si ducatur ad vitalem, primos decem annos significat, deinde semper remanente firmo altero pede Circini in medio radicis Indicis, alter pes inter Annularem & Auricularem præcisè dirigatur, & rursus ad contactum Vitalis deducatur, & alii decem anni apparebunt, & cum hac distantia & mensura annos de decem in decem reperies.

Post Vitalem sequitur Naturalis, quæ dicitur linea capitis, & demonstrat ejus complexionem & affectus: si enim fuerit integra, continua & bene apparens, cerebri bonitatem, ingenii excellentiam, & naturalium qualitatum bonam constitutionem significat: brevis, tumida & profunda, vitæ brevis hominem, iracundum & phantasticum, nimis verò longa & lata furiosum,

nimis

nimis ſubtilis, longa & parum apparens, proditorem & inſtabilem facit.

Menſalis vocatur linea Thori,& ſignificat caloris naturalis vigorem,quia ab hac de potentia generativa, membris, morbis ad eam attinentibus,judicium ſumitur. Recta enim,æqualis,integra,continua & benè apparens, bonam complexionem & aptitudinem ad generationem demonſtrat: interciſa verò lineolis, inſtabilem & libidinoſum: nuda ſine ramis, infortunatum, inopem, crudelem & malorum morum; ſi autem adſint rami tendentes ad montem Jovis,parant dignitates & divitias.

Epatica boni coloris, longa & continua temperiem tum Epatis optimam,tum cæterorum membrorum nutritioni inſervientium ſignificat: ſi verò ſit diſcontinua & fracta, debilitatem complexionis, malamque digeſtionem; tortuoſa verò & interſecta dat periculum vitæ ex quadrupedibus.

Raſcetta verò,quæ eſt ſpatium inter brachium & manum, ſi profunda, integra, continua & benè colorata fuerit, facit hominem quietum & fortunatum; brevis verò & diſcontinua contrarium notat.

Obſervatum eſt, quod ſi circa Carpum quatuor lineæ æquales reperiantur, continuæ tamen & benè coloratæ ſignificant hominem vitam ducturum per octoginta circiter annos.

Saturnina verò,quæ dicitur linea proſperitatis, debet rectè ad montem Saturni protendere, & debet eſſe prope angulum dextrum, ſi eſt recta & non tortuoſa, ſummam promittit felicitatem; ſi enim oriatur in monte pollicis apud vitalem, & per concavum deſcendat,fortunam magnam proprio Marte acquirendam ſignificat: quo verò propius ingreditur Saturni digitum, eò deterior: notat enim carceres & alia de natura Saturni.

Triangulus,ſi erit æquilaterus & boni coloris,bonam naturam, vitam longam, ingenii dexteritatem & famam oſtendit:

semicirculus in ipso facit iracundum, crudelem & furiosum; ex lineis verò in ipso in modum Crucis intersecatis, malus vitæ finis exitusque violentus adnotatur.

Quadrangulus si fuerit plurimum in medio latus, magis in fine & principio, significat bonum temperamentum, facit magnanimum & liberalem; angustum verò & quasi strictum, frigidum, pusillanimem, somnolentum & avarum: si est sine rimis & lineis intersecatis, dat bonam famam, & facit hominem Sagacem: in Quadrangulo, quadranguli duo vel quatuor significant bonam sortem, quando verò sunt tres vel unum, oppositum notant.

Cingulum Veneris discontinuum dividens transversaliter lineas, quæ sunt in monte Solis & Saturni, significat impedimentum circa felicitatem, quæ ex illis Planetis oriri potest; propria autem Cinguli Veneris significatio est circa libidinem, &, si reperitur in utraque manu, tantò magis augetur in omni genere, si autem aliqua linea scindit illud, minuitur; plerumq; Cingulum apparet in Meretricibus, sicut ego obsetvavi.

Mons pollicis non debet esse eminens, vel depressus cum paucis lineis, & significat hominem in passionibus temperatum: rotundus absque intersecatione linearum, libidinosum; si verò lineæ sint continuæ, rectæ & non multum profundæ, temperiem bonam, hominemq; amabilem notat; in fine montis Crux vel stellulæ, infamem, adulterum, infortunia à mulieribus passurum.

Mons indicis, si mundus fuerit & elevatus, honestum, fidelem, justum & bonæ complexionis hominem, debet tamen esse quomodocunque lineatus. In digito & monte Crux vel stellæ; si sint benè dispositæ, dignitates & exaltationem, maximè Ecclesiasticas significant: si Crux est in radice, notat adulterium.

Mons medii absque lineis significat vitam quietam, hominem sedulum & simplicem: si elevatus est, fortunam in Agricultura, & similia: depressus verò angustias, labores, rerum amissionem: linea unica scissus, in acquisitione divitiarum felicitatem, pluri-

pluribus,difficultatem: si in prima junctura digiti Crux vel stella appareat,in mulieribus portendit sterilitatem.

Mons annularis, si elevatus est cum lineis rectis, notat hominem familiarem, ingeniosum & in honoribus fortunatum; si lineæ transversales sint, oppositum significant: si multis lineis confusus inveniatur,& naturæ siccitatem, & caliditatem, & volubilem hominem, & jactatorem: si verò una linea ad radicem digiti quasi extensa & conspicua fuerit, denotat philosophiam, artes liberales & sæculares dignitates.

Mons auricularis debet esse eminens absque implicatione linearum, & sic portendit hominem in omni scientia & arte ingeniosum: depressus autem, cavillosum, mendacem; multum lineatus,callidum, malignum, iniquum. Circulus in digito notat furem,si tamen lineæ sint tortuosæ, & reflexæ inter primam & secundam juncturam,tunc indicant etiam fatuum.

Mons manus debet esse lenis,benè coloratus,& magis elevatus versus Rascettam quàm mensalem, purus,absque intersecatione linearum, tunc enim portendit hominem pacificum & bonæ complexionis, fidelem; si talis non esset, in omni re infortunatum: si mons multis lineis multiplicatus,sese in formam stellæ secantibus,inveniatur, indicat natum submergi; si verò in fine montis lineæ quædam tortuosæ & circumflexæ sint, portendunt infortunia ex aquis. Semicirculus in hoc loco patricidam vel fratricidam; in mulieribus autem signum hoc pessimum est. Stellulæ verò faciunt sceleratum.

Ex linea Lactea cognoscitur capitis debilitas ex libidine,& quantò magis discontinua est,tantò majus detrimentũ significat.

Postea veniunt Ungues considerandi,nam nihil aliud sunt, quã ultima tendinis digitos moventis extremitas extra carnẽ & cutim,aëri exposita ad firmandas & perficiendas digitorũ operationes:dividitur autẽ unguis in tres partes. Prima est carni infixa, & vocatur radix,in qua est sensus: secunda est illa,quæ ad ruborẽ accedit;tertia extrema est sine sensu, quæ à Chyromanticis non cõsideratur,ungues ergo prout sunt tales,veniunt considerãdi,nã

 si sunt

ſunt oblongi, candidi, ſplendentes, hominem moderatum & ſanum ſignificant; ſi vero ſunt longi, tenues & lucidi, ſubrubentes bonum oſtendunt ingenium: oblongi, ſtricti, acuti faciunt conſtantem; inflexi verò tardum, impudentem; nimis parvi, malevolum, contentioſum; pallidi, aſperi, rotundi, luxurioſum: ſic conſiderant Chyromantes. Phyſici verò diverſo modo incedunt; nam ex unguium duritie vel laxitate, rubore vel pallore, an in corpore peccet bilis atra vel flava, vel nimia adſit plethora, cognoſcunt: ſed nos pro nunc nihil cum illis: diſtribuerunt amplius Chyromantes dominia Planetarum ſuper digitos manuum, dextra enim inſervit interdiu natis, ſiniſtra noctu; & cum ſeptem ſint Planetæ, digiti verò quinque, locum pro unoquoq; ſic inveniunt: Pollicis pars ſuperior eſt Martis, inferior Veneris. Index eſt Jovis, Medius Saturni, Annularis Solis, Auricularis pars ſuperior Mercurii, inferior Lunæ; & quia non conſiderantur digiti vel ungues, prout tales ſint, ſed ex maculis variis, quæ in digito alicui Planetæ proprio apparere ſolent, ex quibus, tum reſpectu digiti, tum ex colore macularum judicium ſumitur; addo tamen, quod dicunt, ſiniſtram continere infortunia, dexteram verò felicitates: & ego dico, quod eſt conſideranda Nativitas, an ſit diurna, vel nocturna, ut verum proferatur judicium.

Maculæ ergo nigræ & lividæ ſunt Saturni; albæ & parum roſeæ Jovis, cruentæ, ſubnigræ & purpureæ Martis: ſubcaſtaneæ, radioſæ, Solis; ſubroſeæ, parvæ & ad albedinem tendentes ſine radiis, Veneris; ſuperficiales puncta referentes varia, caſtanea & roſea, Mercurii: albæ, parvæ, confractæ & diſſipatæ attribuuntur Lunæ. Ex ipſorum ergo colore conſiderato Planeta proprio, ſumi poteſt judicium: nam ſi albæ maculæ erunt in radice pollicis, aderit ſpes alicujus dignitatis aut voluptatis, cum ſit digitus Veneris; ſi magna eſt macula, ſpes augebitur, ſi parva, res eſt in anguſto, aut nullius momenti: quando venerit ad medium unguem, jam ſuum finem conſequitur:
dum

dum verò ad extremum pervenit, res frustrata est; sic maculæ tractæ fractas spes, lucra & voluptates demonstrant: livida in hoc digito adulteria uxorum vel amasiarum ostendit, sic pericula causâ fœminarum, livor enim nigredine pejor est. Rosea macula dat fortunam cum mulieribus, rosa enim Veneri dicata est; purpurea hominem in armis fortunatum non sine crudelitate. Quæ dico de Pollice, de cæteris intelligantur, nimium enim esset tædium, in omnibus digitis referre significata macularum.

Notandum est, quod tam in Metoposcopia, quam Chyromantia lineæ modò augentur, modò minuuntur, modò evanescunt, modò colorem mutant; unde effectus ex aspectu præsenti linearum à perito in arte judicantur, & cognoscitur an effectus sit præteritus, vel sit quamprimùm eventurus: sic de novo apparent nævi, circuli, semicirculi, cruces, stellæ, & similia, quæ sunt observanda: & quando vis aspicere manus alicujus, facias ipsum ablui cum aqua calida, deinde siccetur, & fricetur cum panno lineo, & fiat aliquantulum residentiæ, quia lineæ melius apparebunt; ambæ manus inspiciendæ sunt: dextera viri principatum obtinet, sinistra verò mulieris: sic docet Cocles in fine libri sexti Chyromantiæ parvæ: ego aliqua, quæ observavi, & observata ab aliis nunc tradam.

Julius de Strozzis Poëta cum mori optaret absque morbo, timore incidendi in Medicorum manus: curiosus quidam in propria domo voluit manus inspicere, & vidit lineam Mensalem cum vitali junctam, erant autem hæ duæ lineæ lividæ factæ & discolores; unde Filiæ Barbaræ (mulieri celebri, de qua extant volumina aliquot musicalia) mortem Patris quamprimùm secuturam prædixit, post quindecim circiter dies, dum pranderet, inopinatè expiravit Venetiis.

Idem ego observavi per annum, antequam eveniret Petro Polano Ducis Venetiarum intimo, vivente eodem Francisco

DIAS.

GENITUS.

ÆLOHIM GIBOR *FORTITUDO.*

JUDICIUM BRUTUM.

SANDALPHON.

DOMINATIONES.

JUPITER.

SPHÆRA SEXTA.

FATUM MACROCOSMICUM.

MORTALES ab initio Mundi, tum ante, tum post diluvium, obstupescere, admirari, Religioni habere, tum horrere cœperunt ob terrifica eventa, quæ ab Ostentis emanare observabant; quis ergo negabit esse filios *Fati*, si fatalia secum afferunt? nam ex innumeris tum Antiquorum memoriæ traditis, tum Recentiorum accuratè observatis exemplis, rei veritas comprobatur.

Regnante Romulo Anno Urbis Conditæ 14. cum jam Fidenas Oppidum ille cœpisset, Coloniamque Romanorum fecisset, guttæ sanguinis è Cœlo magnâ omnium admiratione ceciderunt, & statim pestis Urbem invasit, quæ hominibus absque ulla ægrotatione mortem inferret subitam; sterilitas quoque agrorum & frumentorum omnium, præcipuè tamen annonæ, summa inopia secuta est, in quæ mala postquam Laurentes incidissent, omnino visum est, Tatii & Legatorum cæde, violato jure gentium, utrique Civitati iram Numinis expiandam esse; quare deditis cædi auctoribus, & utrisque supplicio affectis, ab iis malis manifestè se receperunt. Romulus expiationibus Civitates expurgavit, quas longo deinceps tempore ad portam Ferentinam observatas memoriæ traditum est.

Tullo Hostilio regnante A. V. C. 109. in monte Albano lapidibus pluit, quod cum credi vix posset, missis ad id visendum prodigium, in conspectu non aliter, quàm cum grandinem venti glomeratam in terras agunt, crebri cecidêre de Cœlo lapides. Vox ex summi cacuminis loco audita est, quæ monebat, ut patrio ritu sacra Albani facerent. Novendiale igitur sacrum publicè susceptum, & solemne mansit, ut, quandocunque idem prodigium nuntiaretur, feriæ per novem dies agerentur, non ita multò post gravi pestilentia laboratum est. Hostilius dùm Numam sacrificiis imitatur, Jovi litare non potuit, sed fulmine ictus cum Regia conflagravit.

Anco Martio regnante A. V. C. 126. Lucumo Græci Demarathi filius, & Aruntis frater, generosus adolescens, cum parente

rente apud Tarquinios defuncto, divenditis bonis omnibus, Romam migraret, Janiculoque jam appropinquaret, in carpento cum Uxore sedenti aquila è sublimi dimissa pileum sustulit, atque mox super carpentum cum magno clangore volitans, rursus, velut Ministerio divinitùs missa, capiti aptè reposuit, quo viso Tanaquil Auguriorum perita, eo prodigio Regnum ei portendi intellexit; pecuniâ igitur & industriâ dignitatem, atque etiam Anci Regis familiaritatem consecutus, atque ab eodem tutor liberis relictus, dum Tarquinii Prisci nomen sibi vindicaret, post Anci mortem regnum intercepit, atque ita administravit, quasi jure adeptus fuisset.

Tarquinio Prisco regnante A.V.C. 156. finito bello Sabino cum Tarquinius Priscus in monte Tarpeio ædem Jovis, quam in eodem bello voverat, ædificare vellet, & jam exaugurare fana, sacell'aque alia juberet, ut libera ab cæteris Religionibus Area esset, jamque omnium sacellorum exaugurationes admitterent, aves in Termini tantum fano nequaquam addixêre, quod prodigium, firma stabiliaque cuncta portendere Romanis visum est. Secutum est & aliud prodigium magnitudinem Imperii portendens: nam postea quam futuri ædificii fundamenta aperiret, Caput hominis integra facie, recenti tamen tabo & sanguine aspersum, in imo repertum est, cujus prodigii gratia Aruspices interrogati, responderunt hunc locum, non Imperii tantum Romani, sed totius etiam *Mundi Caput* fore.

P. Posthumio Tuberto II Agrippa Menenio Lanato Coss. A.V.C. 251. Hastæ militares ad multam noctem in Cœlo ardentes visæ: secuta est tertia Sabinorum in Romanorum agros irruptio, qua Posthumius Consul magnam accepit ex sua indiligentia cladem, quam ejus collega nisi mox vindicasset, malè de Repub. Romana actum esset: duæ Romanorum Coloniæ Pometia & Cora ad Aruncos defecerunt, & contra Aruncos bellatum.

ſemicirculus in ipſo facit iracundum, crudelem & furioſum; ex lineis verò in ipſo in modum Crucis interſecatis, malus vitæ finis exitusque violentus adnotatur.

Quadrangulus ſi fuerit plurimum in medio latus, magis in fine & principio, ſignificat bonum temperamentum, facit magnanimum & liberalem; anguſtum verò & quaſi ſtrictum, frigidum, puſillanimem, ſomnolentum & avarum: ſi eſt ſine rimis & lineis interſecatis, dat bonam famam, & facit hominem Sagacem: in Quadrangulo, quadranguli duo vel quatuor ſignificant bonam ſortem, quando verò ſunt tres vel unum, oppoſitum notant.

Cingulum Veneris diſcontinuum dividens transverſaliter lineas, quæ ſunt in monte Solis & Saturni, ſignificat impedimentum circa felicitatem, quæ ex illis Planetis oriri poteſt; propria autem Cinguli Veneris ſignificatio eſt circa libidinem, &, ſi reperitur in utraque manu, tantò magis augetur in omni genere, ſi autem aliqua linea ſcindit illud, minuitur; plerumq; Cingulum apparet in Meretricibus, ſicut ego obſervavi.

Mons pollicis non debet eſſe eminens, vel depreſſus cum paucis lineis, & ſignificat hominem in paſſionibus temperatum: rotundus abſque interſecatione linearum, libidinoſum; ſi verò lineæ ſint continuæ, rectæ & non multum profundæ, temperiem bonam, hominemq; amabilem notat; in fine montis Crux vel ſtellulæ, infamem, adulterum, infortunia à mulieribus paſſurum.

Mons indicis, ſi mundus fuerit & elevatus, honeſtum, fidelem, juſtum & bonæ complexionis hominem, debet tamen eſſe quomodocunque lineatus. In digito & monte Crux vel ſtellæ; ſi ſint benè diſpoſitæ, dignitates & exaltationem, maximè Eccleſiaſticas ſignificant: ſi Crux eſt in radice, notat adulterium.

Mons medii abſque lineis ſignificat vitam quietam, hominem ſedulum & ſimplicem: ſi elevatus eſt, fortunam in Agricultura, & ſimilia: depreſſus verò anguſtias, labores, rerum amiſſionem: linea unica ſciſſus, in acquiſitione divitiarum felicitatem, pluri-

pluribus, difficultatem: si in prima junctura digiti Crux vel stella appareat, in mulieribus portendit sterilitatem.

Mons annularis, si elevatus est cum lineis rectis, notat hominem familiarem, ingeniosum & in honoribus fortunatum; si lineæ transversales sint, oppositum significant: si multis lineis confusus inveniatur, & naturæ siccitatem, & caliditatem, & volubilem hominem, & jactatorem: si verò una linea ad radicem digiti quasi extensa & conspicua fuerit, denotat philosophiam, artes liberales & seculares dignitates.

Mons auricularis debet esse eminens absque implicatione linearum, & sic portendit hominem in omni scientia & arte ingeniosum: depressus autem, cavillosum, mendacem; multum lineatus, callidum, malignum, iniquum. Circulus in digito notat furem, si tamen lineæ sint tortuosæ, & reflexæ inter primam & secundam juncturam, tunc indicant etiam fatuum.

Mons manus debet esse lenis, benè coloratus, & magis elevatus versus Rascettam quàm mensalem, purus, absque intersecatione linearum, tunc enim portendit hominem pacificum & bonæ complexionis, fidelem; si talis non esset, in omni re infortunatum: si mons multis lineis multiplicatus, sese in formam stellæ secantibus, inveniatur, indicat natum submergi; si verò in fine montis lineæ quædam tortuosæ & circumflexæ sint, portendunt infortunia ex aquis. Semicirculus in hoc loco patricidam vel fratricidam; in mulieribus autem signum hoc pessimum est. Stellulæ verò faciunt sceleratum.

Ex linea Lactea cognoscitur capitis debilitas ex libidine, & quantò magis discontinua est, tantò majus detrimentũ significat.

Postea veniunt Ungues considerandi, nam nihil aliud sunt, quã ultima tendinis digitos moventis extremitas extra carnẽ & cutim, aëri exposita ad firmandas & perficiendas digitorũ operationes: dividitur autẽ unguis in tres partes Prima est carni infixa, & vocatur radix, in qua est sensus: secunda est illa, quæ ad ruborẽ accedit: tertia extrema est sine sensu, quæ à Chyromanticis non cõsideratur, ungues ergo prout sunt tales, veniunt considerãdi, nã

 si sunt

ſunt oblongi, candidi, ſplendentes, hominem moderatum & ſanum ſignificant; ſi vero ſunt longi, tenues & lucidi, ſubrubentes bonum oſtendunt ingenium: oblongi, ſtricti, acuti faciunt conſtantem; inflexi verò tardum, impudentem; nimis parvi, malevolum, contentioſum; pallidi, aſperi, rotundi, luxurioſum: ſic conſiderant Chyromantes. Phyſici verò diverſo modo incedunt; nam ex unguium duritie vel laxitate, rubore vel pallore, an in corpore peccet bilis atra vel flava, vel nimia adſit plethora, cognoſcunt: ſed nos pro nunc nihil cum illis: diſtribuerunt amplius Chyromantes dominia Planetarum ſuper digitos manuum, dextra enim inſervit interdiu natis, ſiniſtra noctu; & cum ſeptem ſint Planetæ, digiti verò quinque, locum pro unoquoq; ſic inveniunt: Pollicis pars ſuperior eſt Martis, inferior Veneris. Index eſt Jovis, Medius Saturni, Annularis Solis, Auricularis pars ſuperior Mercurii, inferior Lunæ; & quia non conſiderantur digiti vel ungues, prout tales ſint, ſed ex maculis variis, quæ in digito alicui Planetæ proprio apparere ſolent, ex quibus, tum reſpectu digiti, tum ex colore macularum judicium ſumitur; addo tamen, quod dicunt, ſiniſtram continere infortunia, dexteram verò felicitates: & ego dico, quod eſt conſideranda Nativitas, an ſit diurna, vel nocturna, ut verum proferatur judicium.

Maculæ ergo nigræ & lividæ ſunt Saturni; albæ & parum roſeæ Jovis, cruentæ, ſubnigræ & purpureæ Martis: ſubcaſtaneæ, radioſæ, Solis; ſubroſeæ, parvæ & ad albedinem tendentes ſine radiis, Veneris; ſuperficiales puncta referentes varia, caſtanea & roſea, Mercurii: albæ, parvæ, confractæ & diſſipatæ attribuuntur Lunæ. Ex ipſorum ergo colore conſiderato Planeta proprio, ſumi poteſt judicium: nam ſi albæ maculæ erunt in radice pollicis, aderit ſpes alicujus dignitatis aut voluptatis, cum ſit digitus Veneris; ſi magna eſt macula, ſpes augebitur, ſi parva, res eſt in anguſto, aut nullius momenti: quando venerit ad medium unguem, jam ſuum finem conſequitur:
dum

dum verò ad extremum pervenit, res frustrata est; sic maculæ tractæ fractas spes, lucra & voluptates demonstrant: livida in hoc digito adulteria uxorum vel amasiarum ostendit, sic pericula causâ fœminarum, livor enim nigredine pejor est. Rosea macula dat fortunam cum mulieribus, rosa enim Veneri dicata est; purpurea hominem in armis fortunatum non sine crudelitate. Quæ dico de Pollice, de cæteris intelligantur, nimium enim esset tædium, in omnibus digitis referre significata macularum.

Notandum est, quod tam in Metoposcopia, quam Chyromantia lineæ modò augentur, modò minuuntur, modò evanescunt, modò colorem mutant; unde effectus ex aspectu præsenti linearum à perito in arte judicantur, & cognoscitur an effectus sit præteritus, vel sit quamprimùm eventurus: sic de novo apparent nævi, circuli, semicirculi, cruces, stellæ, & similia, quæ sunt observanda: & quando vis aspicere manus alicujus, facias ipsum ablui cum aqua calida, deinde siccetur, & fricetur cum panno lineo, & fiat aliquantulum residentiæ, quia lineæ melius apparebunt; ambæ manus inspiciendæ sunt: dextera viri principatum obtinet, sinistra verò mulieris: sic docet Cocles in fine libri sexti Chyromantiæ parvæ: ego aliqua, quæ observavi, & observata ab aliis nunc tradam.

Julius de Strozzis Poëta cum mori optaret absque morbo, timore incidendi in Medicorum manus: curiosus quidam in propria domo voluit manus inspicere, & vidit lineam Mensalem cum vitali junctam, erant autem hæ duæ lineæ lividæ factæ & discolores; unde Filiæ Barbaræ (mulieri celebri, de qua extant volumina aliquot musicalia) mortem Patris quamprimùm secuturam prædixit, post quindecim circiter dies, dum pranderet, inopinatè expiravit Venetiis.

Idem ego observavi per annum, antequam eveniret Petro Polano Ducis Venetiarum intimo, vivente eodem Francisco

Molino Sereniſſimo, nam manè cum ſurgeret, apoplexia correptus cecidit, & ſimul expiravit.

Cuidam Civi Venetæ antequam caſus funeſtus accideret, quatuor circiter annis, obſervata fuit in Triangulo Martis duplex Crux ſimul interſecata, profunda & rubea; unde violentâ morte aſtantibus prædictâ, tandem decollatus eſt.

Cuidam Miniſtri Palatii filio conſpectæ ſunt tum in acinis (ſeu extremitatibus digitorum) tum in hypothenar, quod eſt feriens manus, lineæ obliquæ, parvæ & tortuoſæ inſtar Aquarii ſigni, ſubmerſus periit: ſic in quodam puero Patritio Veneto obſervavi, & ſic periit.

Illuſtriſſimæ cuidam Matronæ Venetæ obſervata fuit in fine montis pollicis Crux profunda & rubea, cum ſtellulis benè apparentibus: occiſa eſt à marito.

Cuidam Dorelli Bononienſi, qui fuit Auditor Nuntii Apoſtolici apud Sereniſſimam Rempublicam Venetam (nunc autem eſt Cardinalis de Comitibus Huy) apparuit in ungue pollicis macula nigra & ſublivida, cum autem eſſet Vir inſignis, ſibi aliquod infortunium evenire prædixit, ab adoleſcente ergo quodam ab inimicis Dorelli ſeducto, dum ſecum erat in domo, ligno in cervice percuſſo, adjuvante famulo, multis poſtea vulneribus confoſſus eſt.

Excellentiſſimo D. Marci Procuratori Viaræ Familiæ ultimo, annorum circiter 30. qui anno 1657. obiit, antequam ægrotaret (delectabatur enim Chyromantia) inſpiciens ſibi manus, vidit vitalem rubeum amiſiſſe colorem, factamque eſſe ſublividam, poſtea obſervans ungues, vidit in digito Saturni maculam ſubnigram; ſorori petenti quid ageret, inquit, dubito me quamprimùm ægrotare, & forſan mori, & poſt paucos dies utrumque evenit.

Cuidam mulieri Maurocenæ Familiæ Venetæ, cum oculorum paſſionibus affligeretur, inſpecta manu, erant prope lineam

neam vitalem Circuli duo, amissionem visûs in utroque oculo ostendentes, postea cæca facta est.

Quidam amicus meus in fronte habebat lineam Martis disruptam & brevem, aliæ autem vix conspiciebantur, ferro periit.

Cuidam puello militis famulo per plateam Divi Marci ambulanti factum est, ut de repente pluvia de cœlo veniens cum fulmine *Sacram Turrim* offendens, causa fuerit, ut multi lapides deciderent, unus autem puerum extinxit; vidimus in hoc lineas in manibus vix apparere, & subtilissimas; in fronte autem nulla erat præter principium Saturninæ, in cujus fine erant aliquot puncta: hoc accidit anno 1653. die 26. Augusti.

Hæc pauca sufficiant: Metoposcopia enim & Chyromantia indiget, ut sæpè fiat linearum observatio, quia quandoque mutantur vel evanescunt, vel aliqua linea vel Character apparet de novo; hæc ergo sunt *Fata* particularia, communissimum autem est hoc,

Quotidie morimur, momento extinguimur una.



D I A S

GENITUS.

ÆLOHIM GIBOR *FORTITUDO.*

JUDICIUM BRUTUM.

SANDALPHON.

DOMINATIONES.

JUPITER.

SPHÆRA SEXTA.

FATUM MACROCOSMICUM.

MORTALES ab initio Mundi, tum ante, tum post diluvium, obstupescere, admirari, Religioni habere, tum horrere cœperunt ob terrifica eventa, quæ ab Ostentis emanare observabant; quis ergo negabit esse filios *Fati*, si fatalia secum afferunt? nam ex innumeris tum Antiquorum memoriæ traditis, tum Recentiorum accuratè observatis exemplis, rei veritas comprobatur.

Regnante Romulo Anno Urbis Conditæ 14. cum jam Fidenas Oppidum ille cœpisset, Coloniamque Romanorum fecisset, guttæ sanguinis è Cœlo magnâ omnium admiratione ceciderunt, & statim pestis Urbem invasit, quæ hominibus absque ulla ægrotatione mortem inferret subitam; sterilitas quoque agrorum & frumentorum omnium, præcipuè tamen annonæ, summa inopia secuta est, in quæ mala postquam Laurentes incidissent, omnino visum est, Tatii & Legatorum cæde, violato jure gentium, utrique Civitati iram Numinis expiandam esse; quare deditis cædi auctoribus, & utrisque supplicio affectis, ab iis malis manifestè se receperunt. Romulus expiationibus Civitates expurgavit, quas longo deinceps tempore ad portam Ferentinam observatas memoriæ traditum est.

Tullo Hostilio regnante A. V. C. 109. in monte Albano lapidibus pluit, quod cum credi vix posset, missis ad id visendum prodigium, in conspectu non aliter, quàm cum grandinem venti glomeratam in terras agunt, crebri cecidêre de Cœlo lapides. Vox ex summi cacuminis loco audita est, quæ monebat, ut patrio ritu sacra Albani facerent. Novendiale igitur sacrum publicè susceptum, & solemne mansit, ut, quandocunque idem prodigium nuntiaretur, feriæ per novem dies agerentur; non ita multò post gravi pestilentia laboratum est. Hostilius dum Numam sacrificiis imitatur, Jovi litare non potuit, sed fulmine ictus cum Regia conflagravit.

Anco Martio regnante A. V. C. 126. Lucumo Græci Demarathi filius, & Aruntis frater, generosus adolescens, cum parente

rente apud Tarquinios defuncto, divenditis bonis omnibus, Romam migraret, Janiculoque jam appropinquaret, in carpento cum Uxore sedenti aquila è sublimi dimissa pileum sustulit, atque mox super carpentum cum magno clangore volitans, rursus, velut Ministerio divinitùs missa, capiti aptè reposuit, quo viso Tanaquil Auguriorum perita, eo prodigio Regnum ei portendi intellexit; pecuniâ igitur & industriâ dignitatem, atque etiam Anci Regis familiaritatem consecutus, atque ab eodem tutor liberis relictus, dum Tarquinii Prisci nomen sibi vindicaret, post Anci mortem regnum intercepit, atque ita administravit, quasi jure adeptus fuisset.

Tarquinio Prisco regnante A.V.C. 156. finito bello Sabino cum Tarquinius Priscus in monte Tarpeio ædem Jovis, quam in eodem bello voverat, ædificare vellet, & jam exaugurare fana, sacel'aque alia juberet, ut libera ab cæteris Religionibus Area esset, jamque omnium sacellorum exaugurationes admitterent, aves in Termini tantum fano nequaquam addixêre, quod prodigium, firma stabiliaque cuncta portendere Romanis visum est. Secutum est & aliud prodigium magnitudinem Imperii portendens: nam posteaquam futuri ædificii fundamenta aperiret, Caput hominis integra facie, recenti tamen tabo & sanguine aspersum, in imo repertum est, cujus prodigii gratia Aruspices interrogati, responderunt hunc locum, non Imperii tantum Romani, sed totius etiam *Mundi Caput* fore.

P. Posthumio Tuberto II Agrippa Menenio Lanato Coss. A.V.C. 251. Hastæ militares ad multam noctem in Cœlo ardentes visæ: secuta est tertia Sabinorum in Romanorum agros irruptio, qua Posthumius Consul magnam accepit ex sua indiligentia cladem, quam ejus collega nisi mox vindicasset, malè de Repub. Romana actum esset: duæ Romanorum Coloniæ Pometia & Cora ad Aruncos defecerunt, & contra Aruncos bellatum.

P. Volumnio Amentino, Servio Sulpitio Camerino Coss. A. V. C. 293. Terra ingenti motu concussa; bos locuta, & Cœlum ardere visum, cui rei priori anno fides non fuerat data; variæ Spectrorum facies, horrendæque voces oculis & auribus hominum observatæ sunt: carne pluit, quæ nivis instar è Cœlo frustis majoribus & minoribus demissa, ab omni genere avium intervolantium direpta, priusquam terram attingeret: reliquum verò, quod intercidit, in Urbe, agrisque sparsum jacuit multo tempore, nec colore mutato, nec odore contra morem veterascentium carnium: id Vates indigenæ interpretari non potuerunt. Libri autem Sibyllini monuerunt, cavendum ab externo hoste, & Civium seditionibus: hoc autem anno Lex Terentilla maximo conatu de Decèviris creandis tentata est, maximæque subortæ inter Patricios & plebeios dissensiones. Proximo autem anno exules Romani ac servi, numero 4000. duce Appio Herdonio Sabino Capitolium occuparunt, unde non absque magna Civium strage sunt expulsi.

M. Valerio Maximo. Q. Mamilio Vitulo Coss. A. V. C. 488. Sanguis è terra, & lac de Cœlo manare visum est: nam & plurimis locis scaturiens è fontibus cruor fluxit, & de nubibus guttatim in speciem pluviæ lacte demisso, diri terram imbres irrigaverunt. Eo tempore Carthaginenses dato adversus Romanos auxilio Tarentinis, cum à Senatu per Legatos arguerentur, turpissimam rupti fœderis labem præsumptam accumulavêre perjurio: secutum est quoque Libertinorum Volscienfium adversus dominos conspirantium nefandum scelus, qui tamen mox duce Fabio Gurgite pœnas dederunt. Pestilentia etiam crudelissima hoc anno Urbem invasit.

M. Attilio Regulo Serano II. C. Cornelio Blæso Coss. A. V. C. 496. Serpens in Africa portentosæ magnitudinis apparuit, quem Attilius Regulus cum maximâ militum clade difficulter catapultis & balistis veluti molem quandam expugnavit; qui cum aliquoties jam adversus Carthaginenses pugnasset, eo

anno

anno ab hostibus captus est: hujus autem Serpentis exuviæ 120. pedum longitudine fuisse feruntur, & ejus maxillæ usque ad Numantinum bellum pependisse dicuntur.

C. Quintio Flaminio. P. Furio Philone Coss. A. V. C. 53 . in Piceno flumen sanguine effluxit. Apud Thuscos Cœlum ardere visum est. Arimini nocte multa lux clara effulsit, tres Lunæ distantibus Cœli regionibus exortæ. Magno terræ motu Caria & Rhodus Insulæ adeò concussæ sunt, ut labentibus vulgò tectis, ingens quoque Colossus corruerit. Eodem anno Flaminius adversus Gallos conflixit & vicit. Anno verò proximo Claudius Marcellus iterum profligavit capto Viridomaro Rege, & inter multa Insubrium, quos ad deditionem coëgerat, oppida, Mediolanum quoque Urbem florentissimam cepit.

Gn. Servilio Gemino. C. Quintio Flaminio II. Coss. A. V. C. 537. Romæ in foro Olitorio infans semestris triumphum exclamavit: in foro boario bos in tertiam contignationem sua sponte ascendit, atq; inde, habitatorum tumultu territus, se dejecit. Navium species in Cœlo visæ. Spei Templum in foro Olitorio fulmine ictũ. Lanuvii hasta se commovit. Corvus in ædem Junonis devolavit, atq; in ipso pulvinario consedit. In agro Amiternino multis locis hominum species procul candida veste visæ: in Piceno lapidibus pluit. In Sicilia aliquot militibus spicula arserunt, littora crebris fulserunt ignibus, milites fulminibus icti. Solis circulus minui visus est. Præneste ardentes lampades de Cœlo ceciderunt. Arpis parma in Cœlo. Luna cum Sole certare, & interdiu etiam duæ Lunæ visæ. Cærete, aquæ sanguine mixtæ fluxerunt, fons Herculis sparsis hinc inde maculis cruentis manavit. Ancii metentibus cruentæ in corbem spicæ ceciderunt. Faleriis Cœlum findi visum, sortes sua sponte attenuatæ; Mavors telum suum quassavit. Signum Martis in Appia via ad simulacra Luporum sudavit. Capuæ Cœlum ardere visum: Navium species in Cœlo visæ. Spei Templum de Cœlo tactum, terra horrendo motu concussa est: capræ lanatæ quibusdam factæ. Eodem

anno Hannibal Hetruriam invasit, Romani ad Trasimenum lacum cruento prælio victi sunt.

Q. Fabio Maximo. T. Sempronio Graccho II. Coss. A V.C.541. Murus ac portæ tactæ. Ariciæ Jovis ædes de Cœlo ictæ fulmine: navium longarum species in flumine Terracinæ, quæ tamen nullæ erant, visæ; in Jovis Vitellini Templo, quod in Cossano agro est, arma concrepuerunt, & flumen Amiterni cruentum fluxit. Siphax Numidarum Rex contra Masinissam Regem pro Carthaginensibus pugnans, victus est. Sempronius Consul, cum in Lucanis sacrificasset, angues duo ex occulto prolapsi repentè hostiæ, quam immolaverat, adeso jecinore, in easdem latebras se retulerunt: ob id deinde factum instaurato sacrificio idem prodigii evenit; tertia quoque cæsa victima, diligentiusque asservatis extis, neque allapsus Serpentum arceri, neque fuga impediri potuit, quod quamvis Aruspices ad salutem Imperatoris pertinere dixissent, Gracchus tamen vitare non potuit, quin Flavii Lucani hospitis sui insidiis seductus, inermis à Pœnorum militibus occideretur.

M. Servilio Gemino. T. Claudio Nerone Coss. A.V.C.552. Cumis Solis orbis minui visus: lapidibus pluit. In Veliterno agro terra ingentibus cavernis consedit, arboresque in profundum haustæ, Ariciæ forum, & circa Tabernæ, Frusinone item murus aliquot locis, & porta Urbis de Cœlo tacta. In palatio lapidibus pluit: magna Tiberis facta inundatio. Claudius eo anno Consul, perniciosa tempestate ingruente naufragium passus est. Insignis fuit hic quoque annus incendio ingenti, annonæ vilitate, & morte Q. Fabii Maximi, qui 22. annis Augur fuit. Hannibal magno exercitu Africam ingressus: Vermina Syphacis Regis filius clade à Romanis profligatus est.

P. Cornelio Scipione Africano II. T. Sempronio Longo Coss. A.V.C.560. Romæ in foro Comitio & Capitolio sanguinis guttæ visæ sunt, terrâ aliquoties pluit, caput Vulcani arsit. Interamnæ lac fluxit. Pueri ingenui Arimini sine oculis & oculo nati.

In Pi-

In Piceno infans absque manibus & pedibus natus. In Adrianorum agro lapidibus pluit: ea prodigia ex Pontificum decreto procurata, & Sacrificium Novendiale factum. T. Sempronius Boios primùm ancipiti Marte, tandem verò insigni strage cæcidit.

M. Æmilio Lepido. C. Quintio Flaminio Coss. A.V.C. 567. in Sicilia Vulcani Insula saxosa, quæ externis crateribus flammas eructabat, magna hominum admiratione nata est. Eodem anno Q. Fulvius Flaccus Prætor in Citeriore Hispania 23. millia hominum fudit. Gracchus in Hispania ulteriore infinita oppida in deditionem accepit.

L. Posthumio Albino. M. Popilio Lenate Coss. A.V.C. 581. Lanuvii classis magnæ species in Cœlo visæ. Priverni lana pulla terrâ enata. In Veienti apud Rementem lapidatum. Pomptinum omne velut nubibus locustarum coopertum. In Gallico agro, qua induceretur aratrum, sub existentibus glebis pisces emerserunt. Ob hæc prodigia *Libri Fatales* inspecti, & supplicatio prodigiis expiandis facta. In Ætolia perniciosæ seditiones propter ingentis æris alieni cumulos ortæ. Perseus bellum in Romanos paravit: in Liguribus in agro Stellati pugnatum ad oppidum Carystum, ubi X. millia hominum cæsa sunt vincentibus Romanis.

Q. Martio Philippo II. Q. Servilio Cæpione Coss. A.V.C. 585. Anagniæ fax in Cœlo conspecta, bos fœmina locuta. Minturnis per eos dies Cœli ardentis species affulserunt. Reate pluit lapidibus. Cumis in arce Apollo triduum, ac tres noctes integras lachrymavit. Romæ in æde Fortunæ anguis jubatus à compluribus visus: Palma in area enata, sanguine interdiu pluit. Fregillis in domo L. Atrei, hasta, quam filio militi emerat, interdiu plus horas duas arsit, ita tamen, ut nihil ejus combureret ignis: horum Prodigiorum causâ, post supplicationem, victimis majoribus circa omnia pulvinaria facta sacrificia. Perseus Rex in Thracia feliciter pugnavit victis Dardanis & subactis Illyriis.

T. Grac-

T. Graccho. M. Juventio Coss. A.V.C. 591. Capuæ nocte Sol visus. In Agro Stellati fulgure, vervecum de grege pars exanimata. Terracinæ pueri Trigemini nati Formiis duo Soles interdiu visi; Cœlum arsit. Concii homo ex speculo acie orta combustus. Gabiis lacte pluit. Fulmine pleraque decussa in palatio: in Templum Victoriæ Cygnus illapsus, per manus capientium effugit. In Cephalenia turba in Cœlo cantare visa. Terrâ pluit, procellosa tempestate tecta diruta, stragesque agrorum factæ: nocte species Solis Pisauri affulsit. Cære porcus humanis manibus & pedibus natus; & pueri quadrupedes, & quadrumanes nati.

P. Africano & Lælio Coss. A.V.C. 607. Romæ & circa fulmine pleraque icta. Cære sanguinis rivi terra fluxerunt, & nocte cœlum ac terra ardere visum. Frusinone aurum sacrum mures arroserunt. Lavinii inter horam tertiam & quintam discolores circuli Solem cinxerunt, rubente alter, alter candida linea. Stella arsit per dies 32. & cum Carthago obsideretur, in captivos Romanorum per Hasdrubalem barbaro more sævitum, mox Carthago per Æmylianum diruta.

M. Æmylio. C. Hostilio Mancino Coss. A.V.C. 617. cum Lanuvii auspicarentur, pulli è cavea in Sylvam Laurentinam evolarunt, neque inventi sunt. Præneste fax ardens in Cœlo visa. Terracinæ M. Claudius Prætor in nave fulmine conflagravit. Lacus Fucinus per millia passuum quinque quoquoversum inundavit. In Græcostasi & Comitio sanguine fluxit: fulmine pleraque decussa. Hostilius Mancinus Consul in portu Herculis cum conscenderet navem, petens Numantiam; vox improvisa audita: *Mane Mancine*, cumque egressus, postea navem Genuæ conscendisset, anguis in navi inventus, è manibus aufugit, ipse Consul devictus, mox Numantinis deditus.

Appio Claudio. M. Perpenna Coss. A.V.C. 624. Romæ in agro Corrasi lacte pluit. Lupus & canis Hostiæ pugnantes fulmine exanimati. Prætor populi Romani uno ictu fulmine exanima-

nimatus. Terracinæ sereno navis velum fulmine tactum in aquas dejectum, & impensas omnes, quæ ibi erant, ignis absumpsit. Publius Crassus adversus Aristonicum dimicans occisus. Apollinis simulacrum lachrymavit per quatriduum: Vates portenderunt Græciæ fore exitium, unde deductum esset: Sacrificatum tunc à Romanis, donaque in Templo posita. Phrygia recepta. Asia Attali testamento legata Romanis. Antiocho Regi Syriæ ingenti exercitu dimicanti hirundines in Tabernaculo nidum fecerunt, quo prodigio neglecto prælium commisit, & à Parthis occisus est. M. Fuluvii Flacci Triumviri dissensione in legibus ferendis angues duo nigri in cellam Minervæ allapsi, civilem cædem portenderunt.

M. Acillo. C. Portio. Coss. A.V.C. 640. Pompeius Elnius eques Romanus à ludis Romanis cum in Apuliam reverteretur, in agro Stellati filia ejus virgo, equo insidens, fulmine icta, exanimataque, vestimento deducto in inguinibus, exerta lingua per inferiores locos, ut ignis ad os emicuerit. Tres uno tempore Virgines Vestales nobilissimæ cum aliquot equitibus Romanis incesti pœnas subierunt. Ædes Veneri Verticordiæ facta.

C. Mario. C. Flacco Coss. A.V.C. 650. Bubo extra Urbem visus. Bos locuta. Trebulæ Mutuscæ simulacrum in Templo, quod capite adoperto fuit, opertum inventum. Nuceriæ ulmus vento eversa sua sponte erecta in radicem coaluit. In Lucanis lacte; Lunæ sanguine pluit. Arimini canis locutus. Arma cœlestia tempore utroque ab ortu & occasu visa pugnare, & ab occasu vinci, Aruspicum responso, populus stipem Cereri & Proserpinæ tulit, Virgines 27. dona canentes tulerunt. Luna interdiu cum stella ab hora tertia, usque ad septimam apparuit. A fugitivis & desertoribus in Thurinis regiones vastatæ. Cimbri Alpes transgressi, per Hispaniam vastatam junxerunt se Theutonis. Lupus Urbem intravit. Hora diei tertia solis defectus lucem obscuravit. Examen Apum ante ædem Salutis consedit: in Comitio lacte pluit: in Piceno tres Soles visi: in Agro Vulsiniensi

flamma è terra orta, Cœlumque visa contingere: in Tarquiniensi lactis rivi terra scaturienti exorti, Auspicum responso, signa oleaginea duo armata statuta, supplicatumque: in Macedonia Thraces subacti.

C. Mario. L. Valerio Coss. A. V. C. 654. Fax ardens Tarquiniis latè visa subito lapsu cadens. Sub occasu, Solis orbis clypei similis ab occidente ad Orientem visus præferri. In Piceno terræmotu domicilia ruinis prostrata, quædam convulsa sede sua inclinata manserunt. Fremitus armorum ex Inferno auditus: quadrigæ auratæ in foro à pedibus sudaverunt; fugitivi in Sicilia præliis trucidati.

Cn. Octavio. L. Cornelio Cinna Coss. A. V. C. 667. Simulacro Apollinis caput sine ulla evidenti causa decidit, quod inventum est humi adeò infixum, ut summis etiam viribus avelli non potuerit, quod videns Octavius, licet exitium suum significari intellexerit, vitare tamen non potuit, quo crudeliter interfecto, Dei caput immobile terra demum refigi potuit.

M. Æmylio. D. Bruto Coss. A. V. C. 677. Didius Lælius Legatus Pompei, cui prodigium Romæ erat factum, in lecto uxoris duo angues conspecti, in diversumq; lapsi, proximè Pompeio in Castris sedenti accipiter super caput accesserat, in Hispania adversus Sertorium inter pabulatores occisus..

C. Cæsare. M Antonio Coss. A. V. C. 710. Cæsari Dictatori exta sine corde inventa. Calphurnia Uxor somniavit fastigium domûs, quod sicut erat adjectum, ruisse: nocte cum valvæ cubilis clausæ essent, sua sponte apertæ sunt, ita ut Lunæ fulgore, qui introvenerat, Calphurnia excitaretur; imò in Colonia Capua reperta est tabula ænea, græcis verbis conscripta, in monumento Capys Capuæ conditoris, quæ sic dicebant: Quando ossa Capys detecta essent, fore ut Julio prognatus manu consanguineorum necaretur, magnisque mox Italiæ cladibus vindicaretur; ut postea evenit: ipse enim Cæsar 23. vulneribus in Curia Pompeia.

peiana à conjuratis confoſſus eſt: ponunt alii hoc accidiſſe anno 709.

Cajo Furnio, Cajo Syllano Coſſ. A.V.C.737. ſub Appenino in villa Liviæ Uxoris Cæſaris ingenti motu terra tremuit. Fax cœleſtis à Meridiano ad Septentrionem extenta, luci diurnæ ſimilem in nocte fecit. Turris hortorum Cæſaris ad portam Collinam de cœlo tacta: inſidiis Romanorum Germani circumventi, ſub M. Lollio Legato graviter vexati.

Paulo Fabio, Quinto Ælio Coſſ. A.V.C.743. in Germania in Caſtris Druſi examen Apum in Tabernaculo Hoſtilii Rutilii Præfecti Caſtrorum conſedit, ita ut funem prætendentem, præfixamque tentorio lanceam amplecteretur. Multitudo Romanorum per inſidias ſubjecta eſt.

Sed de his ſatis, nunc ad alia pauca, quæ vel ex avium cantu, vel volatu, vel monſtrorum ortu, aliisque, quæ obſervavimus meritò inter Prodigia enumeranda, deſcendamus.

Refert Nicephorus lib. 9. cap. 35. de Athanaſio Epiſcopo, qui ab Arrianis & Græcis præſtigiator dicebatur, atque ob divinationis peritiam diu multumque deriſus, cùm urbem Alexandriam ingrederetur, Cornix in aëre volitans crocitabat: Græcorum igitur turba hæc audiens, ſcommate eum veluti impoſtorem perſequens, quidnam Cornix diceret, interrogavit; ille autem perquam urbanè & ſuaviter ridens, Cras, inquit, portendit, namque craſtinum diem non benè ceſſurum vobis, mandatum enim ab Imperatore veniens feſtum diem veſtrum inhibebit, & magnificentia veſtra injucunda vobis erit: porrò hoc Athanaſii dictum exitum ſuum habuit, ab Imperatore enim litteræ venêre, quibus Magiſtratus jubebatur de cætero Græcos prohibere, ne ad Templa accederent, & more ſuperſtitionis ſuæ feſtos peragerent, & celebritas ea, quæ jam aderat, & ab illis plurimi fiebat, venerationeque maximâ colebatur, tum penitus abrogata eſt.

Anno 1559. in obitu Pauli IV. dum erat parata Conclavis ad novum eligendum Pontificem, super Joannis Angeli Cardinalis Medicei Columba aliquamdiu circumvolitans cellam consedit, unde Cardinales observantes tanquam à Numine missam, creaverunt ipsum Pontificem titulo Pii IV. referunt aliud prodigium in hoc Pontifice enatum esse puero existente: nocte flamma quædam enata est, quæ totum circuivit cubiculum, deinde lucernam extinctam accendens evanuit, quæ nutricem non dormientem perterrefecit. Idem dicunt evenisse Servio Tullio, qui Romæ regno potitus est.

Aliud Columbæ auspicium observavi ego cum aliis, in Francisco Molino Venetiarum Principe Religiosissimo, in cujus dexteram Olivifera Columba convolavit, ubi cum Senatu Triumphante *Christo* Hosanna decantaretur cum palmis ante Basilicam Divi Marci, sicut mos annuus est, die 5. Aprilis anni 1648. post enim horæ dimidium circiter, dum Sacrificio aderat populo spectante, venit ex insperato Nuncius ex Illyrico afferens triumphum è Clissa contra Turcarum arma.

Monstra etiam, ut supra vidimus, inter prodigia referuntur: nono enim anno ante pestilens Arrii dogma, prodiit infans gemino ore, quatuor oculis, dentibus binis, & barba promissiore terribilis, præcesserunt tamen Cometæ, Terræmotus, & alia innumera anno post Christum 308.

Sic anno antequam nasceretur Mahumethus, execrandum prodigii genus, ac Christiano populo funestum, Puer biceps, quadrupes Bizantii natus anno Domini 596. subsequenti anno natus est in Arabia Mahumethus, homo versipellis, duplex, magicarum artium non imperitus, cujus præcursor fuit Arrius.

In Saxonia inter initia prædicationis Lutheri natum est monstrum bovinis pedibus, quatuor oculis, ore nasoque vitulum referens, supra caput carnem rubeam formâ tonsuræ Sacerdotalis

ctis habens, à tergo formâ cucullæ Monachicæ dependente, undique verò fissuris plenum esse videbatur.

Anno 1512. Ravennæ monstrum natum est, quod habebat cornu in capite, alas duas, brachia nulla, pedem unum; ut avis rapax, oculum in genu, sexum utrumque, in medio pectore Ypsilon, & Crucis effigiem: hoc aliqui ita interpretati sunt. Cornu portendere superbiam; alas levitatem & inconstantiam; carentiam brachiorum, defectum bonorum operum; pedem rapacem, rapinam, usuram & avaritiam omnimodam; oculum in genu, solum ad res terrenas respectum; sexum utrumque sodomiam, propter hæc autem peccata, Italiam sic eo tempore bellicis contritionibus affligi. Y. verò virtutis, & Crucem signum esse salutis; quare si vitiis his relictis ad virtutes & Christi crucem, id est, unicum ejus recurrant meritum; respirationem & pacem denuò inventuros esse. Fiebant autem hæc Ludovico Gallorum Rege, sub Julio Secundo Pontifice, Italiam devastante.

Anno 1547. Cracoviæ mirabile sanè monstrum natum est, quod & triduo vixit: caput erat humanæ formæ non absimile, nisi quod flammescerent oculi, nasus verò longus & aduncus tibiæ instar existeret; in membrorum juncturis ad ulnas, cubitos & genua, canina eminebant capita, manus, pedesque anserinis pedibus similes, oculi supra umbilicum duo, cauda pecuina à tergo hamum extremitate referens, sexu erat masculum: per hoc Sodomiæ peccatum intellexerunt: addit Cornelius Gemma in Cosmocriticæ lib. 1. à Munstero in Cosmographicis pictam pueri formam, cum in terra Belgica esse natum, (quamquam non desint, qui Cracoviæ scribant) festo Conversionis Pauli anno 1543. honestis parentibus, & quatuor tantum horis supervixisse, & hæc dixisse: Vigilate; Dominus Deus vester adventat; & hanc dicit ruinæ Belgicæ fuisse primam configurationem.

Coronidis loco addo, quod etiam inter prodigia adscribenda sunt, quæ ex nostra voluntate intrinsecus stimulante extra

prodeunt, & nil aliud in se habere videntur, quàm insaniæ & inconstantiæ, tamen à prudentibus observantur, quia tandem effectus suos pariunt. Quale est id, quod Venetiis evenit anno circiter 1543. quod observavi & annotavi quamquam adolescentulus. In pueris & juvenibus intus pugnandi ardor ortus erat, ut, quotiescunque dies festus accedebat, inter se gladiis ligneis fortiter dimicarent, & multi vulnerarentur; hoc autem ferè per annum duravit, paulò post incæpit bellum Creticum tam diù durans, non sine jactura Christianæ Religionis.

Mortuo Francisco Molino Venetiarum Principe, clauso consilio pro electione alterius, anno 1655. die Jovis 25. Martii, Hebdomadis Sanctæ, circa noctis principia, dum in Ducali Templo sacra fiebant cum Processionibus annuis, ad adorandum *Miraculosum Christi* sanguinem, quæ omnia cum solemni pompa fiunt, incæpit pluvia magna cum vento, unde populo concurrente tum propter devotionem, tum propter temporis minas, inter januam primam exteriorem, & spatium secundæ interioris, tantus extitit tumultus, ut mortui fuerint circiter 40. aliis semivivis relictis, aliis fractis cruribus, brachiis; in hac miseranda strage eadem hora electus fuit Carolus Contarenus Dux Venetiarum, pius atque religiosus, à quo non dissimilis est Filius Andreas Eques & D. M. Procurator, qui non erit invidus Patri: hoc ergo accidens prodigiosum evenit die fundationis Civitatis, ego autem, qui à longè in Ecclesia aderam, domum reversus annotatâ horâ eventus, & electionis construxi figuram, & mortem ejus in anno sequenti prædixi.

Anno 1654. vivente Innocentio X. P. M. die Jovis 24. Julii, nocte tamen circa horam quintam cum dimidia, terræ motus primo invasionis momento fortiter concussit urbem, altero verò subsequente, minus: in agris verò Abrutii vehemens fuit. Tempore Veris multitudo locustarum & gryllorum arva devastabat. Cum autem fuisset Solis deliquium die 12. Augusti hora 14. cum dimidia, cum assistentia Saturni, Martis & Caudæ Draconis

cotis in Ascendente, Romæ pestem & Pontificis mortem annunciabat, circa initia Septembris malè habuit Pontifex, & cum principia effectus essent à die 11. Decembris in 9. Aprilis 1655. Pontifex 6. Januarii obiit: cui successit die 7. Aprilis Fabius Chigius Senensis titulo *Alexandri VII.* hoc mense tanta fuit gryllorum multitudo in arvis Romæ, ut necesse fuerit multis committere, ut necarentur; fuêre etiam pluviæ multæ, quæ annunciabant Pontifici lachrymas, ex hominum morte esse orituras, sicuti jam ante prædixeram.

Nocte, qua sepeliebatur Ferdinandus III. Imperator Augustissimus, qui obiit 1657. die 2. Aprilis (sicuti nocte, qua mortuus est, factus est Terræ motus) apparuerunt obscurissimæ nubes, & multa signa ignea in Cœlo, & quædam erant in formam gladii, & Cœlum comburi videbatur, aliaque chasmata, quæ cum per momenta tantum durassent, bellicos tumultus, minas de Imperii lapsu cum laudabili fine ostendebant.

Non tamen hac propriâ numerata potentia Mundo
regnat Energiâ, nam solùm ut signa supremis
indicat Imperiis, qua sorte & tempore Fati
verti & mutari, vel bello aut pace valebit:
Vis autem efficiens dimanat ab æthere Cæli.

TRIAS

TRIAS.

PROCEDENS.

ELOHÆ *PULCHRITUDO.*

PHANTASIA.

SANDALPHON.

VIRTUTES.

MARS.

SPHÆRA QUINTA.

FATUM IN NUMERIS.

RERUM omnium ordo & menſura Numerus eſt, & ſine numero & menſura ordo eſſe non poteſt, neque menſura, ſi non conſtat ordine & numero: hinc Pythagoras omnia numeris tribuebat, quia ſunt rerum ſublimium & magnarum potentes; non loquimur de numeris vocalibus ſeu mercatoriis, ſed rationalibus, formalibus & naturalibus: neque ab hoc diſſentit Severinus Boëtius, dicens: quæcunque à primâ rerum naturâ conſtructa ſunt, numerorum videntur ratione formata. Numero dividuntur tempora, neque Cœli abſque numero moventur, cum numero conſtent, ipſaque rerum omnium principia ſub numero continentur, neque formatur homo ſine numero; nam ſine numero compoſitio, conſtitutio, aut diſſolutio fieri nequit; hinc Joannes in Apocalypſi inquit. Qui habet intellectum, computet numerum nominis beſtiæ, qui eſt numerus hominis.

Ex numeris ergo orta eſt Muſica, tam Theorica quam Practica, tam Naturalis quam Artificialis, tam Cœleſtis quam Humana; ſic Pythagoras, Plato & Archytas rerum omnium motiones & Aſtrorum converſiones, ſine Muſica conſiſtere non poſſe exiſtimarunt, & Cœleſtem harmoniam Stellarum conſonantium motu cauſante, perceptibilem auribus formare ſonum; eſt enim hæc harmonia Cœleſtis, numero, ordine & menſura diſtributionum corporum conſonantia inviolabilis; ſicuti Symmetria & proportio corporis humani reſpondet harmoniæ majoris mundi.

Septem ergo ſtatuêre modulamina vocum, & ſunt Tonus, Ditonus, Semiditonus, Diateſſeron, Diapente cum tono, Diapente cum Semitono & Diapaſon; conſonantiæ verò ſimplices Diapaſon, Diapente & Diateſſeron: ſicuti ex modulationibus tres compoſitiones oriuntur, Harmonica, Chromatica & Diatonica; voces verò, quibus ſonus exprimitur, ſex, per binarium diviſæ in dulces, duras & mediocres, ex quibus oritur Syſtema & Diaſtema. Primus eſt compoſitio plurium vocum; ſecundus

ctus est intervallum inter sonos oblatos, quod, ascendendo & descendendo, arbitrio musicorum augetur.

Hinc visa est Musica morum formatrix & imitatrix; nam multi melodico instrumentorum concentu à dæmoniaca vel melancholica affectione melius habuerunt, sicuti eveniebat Saulo, dum David cytharam pulsaret. Terpander musicâ seditionem inter Lacedemonios sopivit; sic morsus phalangii, musici instrumenti sono curatur, sic aliquando ægroti ope Musicæ ex Orco eripiuntur; & cum ex partibus Musicæ oriantur saltationes & tripudia, Plato & Aristoteles prohibuerunt adolescentibus Jonicas aut Lidianas choreas, sunt enim quinti aut septimi toni, & habent facultatem & vim demulcendi corda hominum, unde libidinis incitatio: sed solum ad monuêre, ut in Dorica, hoc est, primo tono exercitarentur, cum ipsa ultra moderatam dulcedinem, etiam gravitatem in se contineat; sed cum Themistius, Averroes & Plato existiment absque numeris formalibus & rationalibus neminem posse philosophari, & Hebræorum Mecubales ipsos ad sydera extollant, ubi agunt de Cabalæ Philologicæ divisione triplici in Gematriam, Notarikon & Temurah, cui ultimæ inservit revolutio alphabetaria, maximè verò in Zituph, ad illos redeundum puto.

Tam Ethnici, quàm Catholici & Sancti Patres in numeris inesse admirandam tum virtutem, tum efficaciam uno ore confirmant, ipseque Hilarius super Psalmos testatur Collegium Chachamim numerorum efficaciâ psalmos in ordinem redegisse.

Varius autem est numerorum ordo & differentia, nam datur par, impar, perfectus, imperfectus solidus, plenus, diminutus, abundans, æqualis, inæqualis, divisibilis, indivisibilis, mas & fœmina, major, minor, duplex, triplex, quadruplex &c. de quibus nunc dicemus.

Monas ergo non eſt numerus, ſed ex ipſa numerus omnis conſurgit, eſt enim fons, à quo & ſine quo non fit numerus, unde numerari non poteſt, nam ante ipſam non eſt numerus, eſt enim ſimplex, multiplicationem in partes non ſuſcipiens, niſi in ſe ipſam, eſt tamen principium aliorum, ſic Joannes notat in Apocalypſi. Ego ſum Alpha & Omega, principium & finis. Et Macrobius: nulli aptius conjungitur Monas incorrupta, quam Virgini.

Binarius, qui à Pythagoricis non dicitur numerus, ſed confuſio unitatum, eſt numerus nuptialis, & vocatur unitatis germen, eſt de compoſitis, habetur enim pro numero mutui amoris, ſocietatis, diſcordiæ & immunditiæ, in Auſpiciis ſemper infelix, imò ferunt ipſum adferre nocte iter facientibus nocumenta umbrarum, larvarum, malorumque ſpirituum: hinc Pythagoras per Monadem intelligebat Deum, bonumque intellectum; per dualitatem, dæmonem.

Ternarius numerus eſt incompoſitus, ſacer, virtuoſus, potens & perfectus: de hac autem numeri perfectione Plutarchus in Simps. agit, quam notat Bodinus in lib. 4. de Repub. de errore: ſed quare non ſit perfectus, rationem non reddit, cum Ariſt. lib. 1. de Cœlo vocat eum legem & omnium diſpoſitionem. Monas enim in Triade læta convertitur, & ut dicit Tritemius: Ternarius ad unitatem reductus, per aſpectum omnia in ſe continet, &, quæ vult, poteſt; quod quidem in Magicis eſt expertum, tum in hoc, tum in ſequenti, efficax enim eſt in ligationibus, ſanctificationibus & curis morborum, ſed multi conantur, at non eſt in omnium mente Ternarius.

Quaternarius Pythagoricus ſacer, fundamentum omnium numerorum, hinc in divinis, naturalibus & artificialibus omnia fundamenta quadrata ſunt; conſtat his duabus proportionibus unius ad unum, & duorum ad duo; hunc Magi vocant Naturæ fontem, & eſt numerus, qui occulta naturæ operari poteſt: nam ipſi

ipsi dæmones secundum Quaternarii dispositionem fugiunt, acceduntq; vocati: hoc in Magicis patet.

Quinarius mas fœmina est ex impari & pari constans, decadis medietas, ex hoc enim omnes usque ad decadem componuntur; hunc appellant Pythagorici numerum connubii; est etiam numerus gratiæ & felicitatis, nam dicunt Noë in numero quinario gratiam invenisse apud Dominum, hinc ad pellendos dæmones Pentagono Magi utuntur, cum sit numerus, qui in expiationibus multum valet.

Senarius perfectus est, ita ut à Monade usque ad Decadem non sit alius, constat enim tum ex tribus paribus, tum ex duobus imparibus. Pythagorici enim accommodant ipsum Genesi & nuptiis: vocatur etiam mundi signaculum, cum Sexto die perfectus sit. Quanta verò sit ipsius vis in morbis, Hypocrates testatur sextum esse Tyrannum, in mutationibus verò Regnorum, suo loco dicemus.

Septenarius virtuosus, abditarum rerum & mirandarum plenus; à senario enim & Monade compositus, vel ex triade & quaternario, vel ex binario & quinario, multiplicis enim divisionis miraculosus & potens; hunc vocant Pythagorici hominis vehiculum; Plato verò in Tymeo animam Mundi hoc numero esse genitam reliquit, quia verò neque genitus est, neque generat, cum sub divisione equalium partium non cadat, Virginitati consecratur: in Magicis potentissimus, cum ex ipso solo etiam curationes admirandæ fieri possint; in Sacra verò Scriptura multoties usurpatus, & vario sensu, nunc sub titulo ultionis, remissionis, pœnitentiæ, sanitatis, quietis & orationis; ut: septuplum ultio dabitur de Cain: vade, & lava te septies in Jordano, & recipiet sanitatem caro tua: septies in die laudem dixi tibi: septimo die Dominus quievit ab opere suo; & Joannes in Apocalypsi sæpissimè de ipso mentionem facit. Ab hoc enim incipiunt *Fati* vires tum in Macrocosmo, tum in Microcosmo, Septimestris enim fœtus vitalis est.

Octonarius à Macrobio dicitur plenus, & quia dividitur in numeros pariter pares, Justitiæ nomen accepit: constat enim ex duplici Triade & binario, nec non ex quaternario, Triade & Monade. Vocatus est numerus fœderis & Circumcisionis, quæ à Judæis octavo die fiebat; & quia in arca Noë octo redempti sunt à multitudine aquarum, salutis & conversationis dictus est; generationi verò humanæ infestus, cum nullus hominum in octavo mense vivat, subsequitur enim Septennarium, & Monadem ingreditur.

Novenarius verò ex tribus Triadibus, vel ex duobus quaternariis & Monade, vel ex quinario & quaternario, vel ex senario & triade componitur: Sacer est, tamen ad perfectionem decadis non pervenit, unde notam imperfectionis subit. Nativitatibus hominum constitutus, ut plurimùm enim in nono mense nascuntur, inter Fatales enneaticus est, & ex mutationibus, quas affert hominibus & Regnis Mundi, evadit insignis.

Denarius completus est, & ultra illum non est numerus simplex, universos enim numeros intra se implicat, vel per se, & suos explicat multiplicando, unde multiplicis Religionis habetur: nam unum duo, tria & quatuor sunt decem, & sine regressu ad unitatem numerus ulterius non progreditur; sic in se omnes continet numeros, nam in ipso sunt quinque pares ex binis, tres triades & monas, senarius & quaternarius, duo quaternarii & binarius: hinc cecinit Hermes in sermone recondito in mente de Regeneratione. Decas est animæ genitrix, unitas secundum rationem Decadem habet, & Decas unitatem. Est ergo omnium numerorum finis & complementum; dicunt enim, Josue in hoc numero triginta unum Regem vicisse. Cabalistæ verò Hebræorũ, quos vocant Allegorizantes, cuncta Denario disposita, in decem Dei nomina Paradigmatica vergunt; Hyperbolicè autem Decem Sephirot, hoc est, Numerationes vocant, per quas homo Cabalæ studiosus propius ad Deificationem ascendit, sed hæc in Mereches Elohus, & de his Gerundinus Mose, & Rabi Menahem, Rachanad cum aliis

Unde-

Undenarius Decadi succedit, numerus imperfectionis, nullam habens cum Divinis communionem, attractum, nec meritum, in morbis verò Judiciarius est.

Duodenarius verò divinus, tum ex numero Apostolorum Christi, tum ex numero Angelorum, qui Zodiaci signis præsunt: in Macrocosmo Fatalis, nam ex ipso, tum quadrato, tum Cubo ex Algebra desumpto, cognoscitur mutatio Regnorum, declinatio & annihilatio.

Constat ergo & nulli dubium est, virtutes multas in numeris consistere, quæ inserviunt Homini & Mundo, multæque scientiæ ex ipsis constructæ sunt, sic ars mirifica Pythagoræ, ipsique Hebræorum Mecubales in Ziruphо omnia ab ipsis deducunt; possunt etiam in Rerumpublicarum negotiis utilissimè exerceri, nam summus Opifex numeris in Natura multa destinavit officia, ad quæ quidem intelligenda non perveniet homo duræ cervicis.

Hæc tibi nunc pandam: sed cantu Musa sonoro
lassa diu, quærit placido requiescere somno,
colligat ut vires, majorique acta furore,
Astr feras possit Numerorum exponere causas.



MONAS.

SOLUS.

ADONAI SABAOTH. *PERPETUITAS.*

SENSUS INTERIOR.

SANDALPHON.

POTESTATES.

SOL.

SPHÆRA QUARTA.

FATUM IN ANNIS.

EX numeris Anni Fatales deducuntur, & absque numeris deduci nequeunt. Varia nomina sortiuntur, nempe Climaterici, Scalares, Decreterii, Gradarii, Scansiles, Critici, Heroici, Androdes, Judicarii. Dubitant aliqui an dentur; dicunt enim, cum duplicis generis sint, nempe alii ex Septenario, alii ex novenario, quare non est hominibus constitutum nascendi tempus in octavo mense vel decimo; sed nascuntur in mensibus ex numero Fatalibus, & ut plurimum vivunt: ad hanc objectionem pulcherrimam respondemus.

Primò: dari Annos Climatericos, tum Enneaticos, tum Hebdomaticos, non ratione numerorum solummodo, sed ratione Planetarum, quibus datum est dominium super ipsos, nec est, quod, cum septenarius constet ex primo impari, & primo pariter pari quaternario, novenarius ex tribus triadibus, qui est quadratus primi imparis, numeri sacri ternarii, & etiam est impariter par; ex hac causa solummodò debeat effectus magnos & mutationes in hominibus patere, sed quod illis dominantur Planetæ, tum ipsorum hostiles radii mutationem & necem aliquando afferentes; à qua, opinione non dissentit Vir Clariss. Joannes Colle in suo Cosmitore Mediceo pag. 251. à quo non est virtute inferior Pronepos Hieronymus Colle Vir Eruditissimus, qui non tantum Avos imitatur omni virtutum, scientiarumque genere, sed longè superat.

Secundò, dato, quod dentur Anni Climaterici, non sequitur, quod sint semper lethales, ut multi credunt; sed in ipsis mutatio apparet, quæ aliquando ad bonum, aliquando ad malum convertitur, hinc multi moriuntur in non Climaterico, qui in Climaterico benè habuère.

Tertiò, quod natus in septimo & nono, quamquam Fatali, ut plurimum vivat, nisi eo tempore morbo corripiatur & pereat. Ratio est, quia primo mense dominatur Saturnus, secundo Jupiter, tertio Mars, quarto Sol; quinto Venus, sexto Mercurius, septimo

septimo Luna, ex hoc dominante, dummodo septennium completum sit, vivit: octavo mense redit Saturnus, & sua natura frigida & sicca impedit, ne fœtus vivat, vivit verò, quando Luna ingressa est nonam Lunationem, quod multoties est observatum; nono mense redit ad dominium Jupiter, qui, cum benefica stella sit & salutaris, natis orientibus dat vitam, nisi aliæ causæ impediant.

Quartò respondetur, homines oriri in numero Mensium Fatalium, ut sciamus, tunc nos *Fato* subjici, & quod illius vires effugere non valemus, cum ultrà septimum & nonum non sit aliud constitutum nascendi tempus (nisi dentur monstra in natura, quæ aliquando accidunt, & accidere possunt: sed hoc raro, cum sit præter ordinem naturæ) & sic necesse est, ut in Fatalibus oriamur, hinc Plutarchus ex Homero deducit,

Fata sua effugiet, non quisquam, sive malus sit
sive bonus, primùm, cum lucem aspexerit almam.

Ex his satis responsum est objectioni, quod etsi oriamur in mensibus, qui ex numeris suprapositis Fatales nuncupantur, non ex his sequi homines mori, cum hi numeri in se possideant virtutem, quæ alterari potest, & diminui à causis Cœlestibus, sicuti inferius dicemus.

Anni ergo Climaterici quidam componuntur ex Septenariis, quidam ex Novenariis, ex his alii sunt Majores, alii Minores, alii Maximi: ex Septenariis Minores sunt 7.14.21.28. 35.42. 49. 56. 63. Majores 70. 77. 84. 91. 98. 105. 112. 119. 126. Maximi verò 133. 140. &c. ex Novenariis Minores sunt 9.18. 27.36.45.54.63. Majores 72.81.90.99.108. 117. Maximi verò 126.135. &c. pono Maximos, quia in quibusdam Regionibus, maximè in India, Æthiopia, aliisque locis Orien-

tis inveniuntur aliqui excedentes majores, quod in noſtris Regionibus rarum eſt, ut aliquis perveniat ad 119. vel 126. vel ultra.

Aliqui autem ex his inter periculoſos collocantur, nempè. 21.42. magis verò 49.56.63. 81.84. unde Heroici & Androdes appellantur, quia Clariſſimi Viri his annis obierunt, & mori obſervatum eſt, plerumque in 56. qui eſt ultimus cuſtodiæ Martis, & 63. qui conſtat ex novem Septenariis, pepericuloſiſſimus: hos annos ſummâ cum diligentiâ obſervarunt Antiquiores, veritatem in ipſis reperientes ex vi & potentiâ, quæ in ipſis invenitur, quam quidem non negant multi Recentiores; ſed hi ſunt Climaterici ſimplices in ore omnium exiſtentes: nunc ad Fatales annos, qui ex Aſtris deducuntur, deſcendamus.

Sciendum ergo eſt totam hominis vitam dividi ſecundum Planetas, qui cum ſint ordine ſeptem, Septenarii Dominator unusquisque ex ipſis dicitur, cum regat annos ſeptem initium à Luna ſumendo, & hoc quò ad Univerſale. Septem ergo primi anni ſunt Lunæ, & tunc puer obnoxius eſt convulſioni; ſeptem alii Mercurii, & fit agilis & rationis capax: ſeptem Veneris, & tunc floret pulchritudo, & incipiunt moveri & impleri ſeminales meatus, & ſtimulatur ad Venerem, corpus autem amplius non augeſcit, propter ſuccedentem ſiccitatem Solis: ſeptem alii Solis, & tunc adeſt vitæ robur, & incipit amor honorum, unde horum cauſâ propriæ vitæ obliviſcitur homo. Alii ſeptem Martis, & ſunt audaciæ, laborum & dolorum, & pervenit ad roboris ſtatum; ſeptem alii Jovis, tunc adeſt ſapientia, aſtutia & conſilium, & à juvenilibus nugis incipit recedere; ſeptem alii ſunt Saturni, & homo fit gravis, prudens, juvenilia contemnens, poſt Saturnum ad eundem ordinem regreditur. Hanc Alfridariam Barbari vocant, quod ratione & experimento adinvenit

nit Cardanus, ut ipse testatur: annos verò cujuslibet Alfridariæ ultimos semper periculosos censet. Nec ætas hominum tali modo divisa extra rationem videtur, nam si Summus Opifex Mundum septem diebus formavit, quare & homini, cum sit parvus Mundus, hujus dignitate Septennii frui non est concessum? Ipse quidem Hippocrates libro de carnibus scripsit, hominis vitam esse septem dierum, quod in conceptione observatur, cum in primis septem diebus semen in utero conglobatum & coagulatum evadit ad capiendam formam idoneum.

Alii tribuunt infantiam Lunæ, & quatuor primos annos, nam hoc tempore redit ad locum in Epiciclo & parvo orbe; pueritiam Mercurio annosque decem, pro medietate parvi orbis revolutionis, qui annis viginti completur: adolescentiam Veneri cum annis octo, & hoc tempore regreditur ad eundem Epicicli locum; juventutem Soli cum annis unde viginti: ætatem virilem Marti annis quindecim, pro spatio sui circuitûs: senilem Jovi annis duodecim, juxta proprium circuitum, extremam verò Saturno; sed isti non ad aliam causam recurrentes, quàm ad proprios Planetarum orbes & Epiciclos, cum aliam non reddant rationem, de istâ annorum divisione juxta Planetas, pace eorum, eam non recipimus.

Positis ergo Dominatoribus Septennii, sic constituitur eorum dominium, ut in generali dominentur omnibus hominibus, tam de die, quàm de nocte natis, unicuique verò Septennii anno unus constitutus est Dominator pro diversitate Geniturarum, nam qui dominatur nocturnæ genesi, non inservit diurnæ: rem modò explico.

Sit natus aliquis, sive de die, sive de nocte sit: primos septem annos, à 7. ad 14. Mercurius. à 14. ad 21. Venus. à 21. ad 28. Sol. à 28. ad 35. Mars. à 35. ad 42. Jupiter. à 42. ad 49. Saturnus.

deinde ad Lunam redeundum eſt hoc ordine, donec vivit natus. Sciendum autem eſt hunc Septennii Dominum non eſſe ſolum in gubernando natum his ſeptem annis, ſed quolibet anno ſuum habere ſocium de dominio participem: in Genitura diurna res ſic ſe habet: anno primo Lunâ gubernante Sol particeps erit, ſecundo Venus, tertio Mercurius, quarto Luna, quinto Saturnus, ſexto Jupiter, ſeptimo Mars. Poſtea anno octavo redit Sol cum Mercurio gubernans, & ſic de ſingulis. In nocturna res alio modo ſuccedit. Primò anno Septennii domina Luna, eadem Luna dominii particeps eſt, ſecundo Mercurius, tertio Venus, quarto Sol, quinto Mars, ſexto Jupiter, ſeptimo Saturnus, & ſic de aliis intelligendum eſt.

Hinc deducitur horum Annorum pericula ſic apparere, nam naſcenti in die, ſeptimus annus erit Martis, & per conſequens, acuta febre, vulneribus, inflammatione, hæmorraghia, & aliis moleſtabitur: de nocte verò, ſeptimus erit Saturni, & ægritudo erit chronica, ut quartana, quotidiana, tertiana ſpuria, animi pathemata, capitis gravedo, oculorum paſſiones, ut ſuffuſio, cæcitas, caſus ab alto, & alia de natura Saturni; ex his patet, quod annus 56. in nocturnis maximè, 63. in diurnis ſit lethalis, cum triplex conjungatur infortunium frigiditatis in 56. ſiccitatis in 63. & hæc eſt prima Septenniorum diviſio.

Secundò ſumuntur Septenarii vel novenarii benigni, periculoſi, vel medio modo ſe habentes ex Themate Natalitio, ſine quo nullo modo poteſt intelligi, quomodo agant; eorum enim vis eſt, quatenus conjunctione, ſextili, trino, oppoſito, vel quadrato ad Cœli domus non ſolum Horoſcopus ipſe, ſed etiam Planetæ per profectionem perveniant: Profectio enim eſt æqualis & regularis devolutio, ſeu inceſſio Horo-

ſcopi,

ſcopi, Solis, & aliorum ſignificatorum ſecundum ſignorum ordinem.

Aſpectus autem in Cœli domos incidentes tum ex Septenariis, tum ex novenariis ſunt iſti: anni ſeptimi Aſpectus Profectionis de oppoſito eſt ad ſeptimam. 21. de trino ad nonam. 28. de quadrato ad quartam. 35. de ſextili ad undecimam. 49. de conjunctione ad primam. 63. de ſextili ad tertiam. 70. de quadrato ad decimam. 77. de trino ad quintam. 91. de opppſito ad ſeptimam: in novenariis, noni anni Profectionis Aſpectus, de trino eſt ad nonam. 27. de ſextili ad tertiam. 45. de trino ad nonam. 63. de ſextili ad tertiam. 81. de trino ad nonam; & hi ſunt aſpectus in Cœli domos incidentes: cæteri autem anni intermedii nullum habent aſpectum: periculoſi autem ſunt ex Aſpectibus, Tetragonus & Oppoſitio, nec non Sextilis maleficorum in ſignis longarum aſcenſionum, ſicuti Trinus in ſignis brevium. Conjunctio autem eſt ancipitis naturæ, cum bonis bona, cum malis mala: quadratus verò, & oppoſitio beneficorum parum nocet: & hæc eſt ſecunda Septenniorum diviſio.

Notandum etiam eſt, quod ipſi Anni Climaterici, ut talès ſunt, non ſunt lethales, ſed aliquam afferunt mutationem in complexione, & ſi eo tempore adjuvatur Geneſis ab aliqua benigna directione, evaneſcit Climaterici robur; ſi verò accidat mala Revolutio & bona directio, res medio modo ſe habet, ſed periculum eſt ne in pejus ruat; ſi verò ſit mala Revolutio, Profectio, Directio, Tranſitus, tunc actum eſt de vita: ſumuntur verò Profectiones hæ ex ſigno Horoſcopi, qui triginta gradus quolibet anno percurrens de domo in domum ingreditur, unde Anni ultra Hebdomaticos & Enneaticos alii inſurgunt, tum mutationem afferentes, tum pernicioſi & lethales: & hoc modo perſpici poteſt, an Septenarii, vel Nove-

narii


narii ſint futuri lethales aut ſalubres, ſed quia, ut dixi, reſpectu locorum, ubi maligni vel benigni Planetæ adſunt, incidit ſignificatorum Profectio, qualis ſit futurus annus, judicato.

Periculoſi etiam ſunt anni. 6.18.30. 42. 54. 66. 78. 90. quia Horoſcopus Profectione venit ad ſextam. ſic. 7.19. 31.43. 55.67.79.91. & tunc eſt ad ſeptimam: amplius, 8. 20. 32. 44.56. 68. 80. 92. & tunc eſt ad octavam mortis: conſiderandæ autem ſunt tum Profectiones Horoſcopi, tum medii Cœli & aliorum ſignificatorum, ſi perveniant ad domos Cœli infelices, tum ad hoſtiles Planetarum radios illuc corpore, antiſcio, vel contra antiſcio exiſtentium, quæ omnia ſunt obſervanda: nunc autem claritatis gratiâ XII. adduco Illuſtrium Geniturarum exempla.

GENI-

GENITURA XXI.

Federicus Feltrius, Urbini Princeps.




Nobilis est hæc Genitura, quia majori ex parte Planetæ in suis dignitatibus reperiuntur: domina Ascendentis est Luna juncta Veneri in sua exaltatione, cum autem nullo aspectu Mercurius configuretur, de Epilepsia & insania natum affligit, Ascendens ipsum signum mobile, Mercurius in propria domo, ubi capiti præest, affligitur Martis conjunctione in signo communi, unde respectu tum loci Mercurii, Martis, tum Horoscopi, decernitur natus lætus, mutabilis, ad amorem proclivis, & Musicæ amator.

Captus ergo amore cujusdam fœminæ histrionicam exercentis, die 28. Junii 1623. vesperi publicè apparuit Comœdus, die 29. mane seminudus è fenestra Aurigam de equis allocutus est paucis ab hinc horis Aulici expectantes eum surrecturum, cum iturum venationi destinasset, mortuum in lecto reperière.

In figura omnia apparent, Sol est cum Pleia. ibus, Mercurius & Mars cum violenta Stella Oculi Tauri de natura Martis, Hercules in Horoscopo ubi Martis Antisciam, cauda Draconis in Cœli culmine; cum autem Profectio Ascendentis illius Anni esset ad sextam, ubi oppositum Mercurii & Martis, & locus Saturni & Ascendens directione pervenisset ad Antiscium Martis absque latitudine, obiit Anno Ætatis 18. Climaterico mense primo cum dimidio.

GENITURA XXII.


Virginius Cæsarinus Princeps.



Tot Planetæ in signis aëreis faciunt ingenio præclaros, ad omnia aptos, ut in hac genesi ex Stellis insignioribus Horoscopo & Medio Cœli, magnis honoribus elatus ad majora pervenisset, fuit enim (ut dicunt) Urbani VIII. Aulæ Magister. Ascendens enim Urbani est Medium Cœlum Principis, Multi enim ad altiora sic elevantur, dum adest Genituræ cum aliqua Principum consensus: brevem tamen vitam, luminaria in cadentibus Cœli locis demonstrabant, & Mars hostili radio Horoscopum affligit: nescio autem, quid evenisset, si tam citò non obiisset, Mars enim est in septima cum Capite Medusæ: macie autem consumptus fatis cedit 1624. die 11. Aprilis; tunc erat directio Ascendentis ad Stellam Martialem Cordis Scorpii, & Profectio Horoscopi erat ad quartam, quam foveam vocant, ubi quadratum Martis, & Mars ad proprium quadratum in Leone Anno Climaterico 28. cum mensibus quinque & diebus viginti.

GENITURA XXIII.


Antonius Fachinettus Cardinalis.



Qui ægrotant, aut mutationem insignem in septimo experiuntur, hi, vel maleficum Planetam, vel malum radium ex ipsis in Occidente habent. Eminentissimus hic habet Saturnum in Sagittario signo igneo, annoque septimo ægrotavit usq; ad mortem, tamen acuta ægritudo versa est in chronicam, tum ex Saturno in septima, tum ex directione Horoscopi ad ejus oppositum, cum autem pervenisset Profectio horoscopi ad septimam, ubi Saturnus & directio Lunæ ad corpus Martis, obiit anno 1606. Maii, ætatis verò Climaterico 31, cum mensibus dubous vix completis.

GENITURA XXIV.

Bernardus Veimarius Dux.




Luminaria in angulis, & in suis dignitatibus, Jupiter, Mars & Venus in propriis domiciliis virum insignem, tum in divitiis, maximè ex arte Militari, tum in honoribus demonstrant; cum autem dominus Ascendentis sit in duodecima, dominus duodecimæ in medio Cœli, & dominus medii Cœli in septima carceres designant, quos bis est expertus, & inimicitias multas, de inimicis verò victoriam, quia Luna domina decimæ in sua exaltatione est in septima, & Mercurius in Cœli culmine: ex Luna verò in septima cum cauda Draconis, quadrato Mercurii & opposito Martis, pericula violentiæ, mala enim mors imminebat & inopinata, ut sub Cæsare Ferdinando II. notum est: laudabilium morum facit spica Virginis in Horoscopo, unde à Principibus magnis valde in ratione habitus, à propriis militibus multum dilectus, quia non tanquam Princeps, sed tanquam pauper miles omnibus periculis expositus, obdormiebat in nivibus & pluviis, vocabatque subditos milites fratres, & socios. Anno ergo 1639. Julii die 15. Basileæ januas pertransiens, non bene se habere cognoscens, festinavit Neoburgum, ubi die 18. moritur, tunc erat directio Ascendentis centralis ad Corpus Martis anno Climaterico 35. minus diebus 27. & Profectio Ascendentis ad quadratum Martis.

GENI-

GENITURA XXV.


Philippus III. Rex Hispaniarum.



Hic Rex longioris vitæ esse non poterat, cum luminaria sint sub terra, & in cadentibus platico Martis opposito afflicta, cum autem Ascendens anno 1614. pervenisset ad Saturni quadratum, die 2. Julii incœpit ægrotare lenta febre, quæ 1... dies tantum perduravit; sed quia nullus in Nativitate hac est Saturno potentior, cum sit dominus Horoscopi, & in sua domo reperiatur, nullaque postea fortis, & benefica directio usq; ad annum mortis succederet, fluxione humorum acri tunc introducta in partes spirituales, in speciem phtysis incidens, irritis remediis, nil mirum si succedente directione Horoscopi ad Solem, natura Martis imbutum, & ad Lunæ quadratum, Profectione verò Horoscopi ad septimam, ubi oppositum Martis, anno ætatis 43. Climaterico 1621. mense Aprilis diem clausit.

GENITURA XXVI.

Octavianus Frater Cardinalis Ubaldini.




Luna domina Aſcendentis in igneo ſigno, Solis exaltatione, & Hercules Stella violenta in Aſcendente, Saturnus verò cum capite Meduſæ in oppoſito platico Martis in propria domo exiſtentis, pericula violentiæ, multaque adverſa decreverunt; cum autem directio Aſcendentis perveniſſet ad quadratum Martis anno Climaterico 45. minus uno menſe circiter, ex febre maligna periit, anno 1632. die 12. Auguſti, eratque Profectio Horoſcopi ad oppoſitum Solis.

GENI-

GENITURA XXVII.

Marcus Antonius Columna Comestabilis Regni Neapoli.



Hic fuit Siciliæ Prorex, post patratam Victoriam contra Turcas 1571. & tunc regebat Classes Pontificias, nam initum erat fœdus inter Pontificem, Hispanum Regem & Venetos, hoc demonstratur ex constitutione Martis, Jovis & Mercurii in quinta, nec non sextili Lunæ ad Venerem & Solem, Sol enim etsi in sexta cum Venere, in Veneris exaltatione respiciens de Trino Medium Cœli demonstravit officia, administrationes, negotia cum Principibus, ex quibus divitiæ affluxerunt, nam Luna domina medii Cœli in quarta stabilium; cum autem sit cum cauda draconis, & in suo detrimento, dispendia multa in illis expertum esse, credendum est: vocatus ergo à Rege in Hispaniam 1584. progreditur, & in itinere prope Medinam Cœli ægrotans in ea civitate die 20. Julii obiit. Anno ætatis 49. Climaterico cum mensibus ferè quinque ex directione Ascendentis ad quadratum Martis, & tunc Profectio Ascendentis erat ad primam in quadrato Lunæ, & Profectio Saturni & Martis erat ad locum proprium.

deinde ad Lunam redeundum eſt hoc ordine, donec vivit natus. Sciendum autem eſt hunc Septennii Dominum non eſſe ſolum in gubernando natum his ſeptem annis, ſed quolibet anno ſuum habere ſocium de dominio participem: in Genitura diurna res ſic ſe habet: anno primo Lunâ gubernante Sol particeps erit, ſecundo Venus, tertio Mercurius, quarto Luna, quinto Saturnus, ſexto Jupiter, ſeptimo Mars. Poſtea anno octavo redit Sol cum Mercurio gubernans, & ſic de ſingulis. In nocturna res alio modo ſuccedit. Primò anno Septennii domina Luna, eadem Luna dominii particeps eſt, ſecundo Mercurius, tertio Venus, quarto Sol, quinto Mars, ſexto Jupiter, ſeptimo Saturnus, & ſic de aliis intelligendum eſt.

Hinc deducitur horum Annorum pericula ſic apparere, nam naſcenti in die, ſeptimus annus erit Martis, & per conſequens, acuta febre, vulneribus, inflammatione, hæmorraghia, & aliis moleſtabitur: de nocte verò, ſeptimus erit Saturni, & ægritudo erit chronica, ut quartana, quotidiana, tertiana ſpuria, animi pathemata, capitis gravedo, oculorum paſſiones, ut ſuffuſio, cæcitas, caſus ab alto, & alia de natura Saturni; ex his patet, quod annus 56. in nocturnis maximè, 63. in diurnis ſit lethalis, cum triplex conjungatur infortunium frigiditatis in 56. ſiccitatis in 63. & hæc eſt prima Septenniorum diviſio.

Secundò ſumuntur Septenarii vel novenarii benigni, periculoſi, vel medio modo ſe habentes ex Themate Natalitio, ſine quo nullo modo poteſt intelligi, quomodo agant; eorum enim vis eſt, quatenus conjunctione, ſextili, trino, oppoſito, vel quadrato ad Cœli domus non ſolum Horoſcopus ipſe, ſed etiam Planetæ per profectionem perveniant: Profectio enim eſt æqualis & regularis devolutio, ſeu inceſſio Horo-

ſcopi,

ſcopi, Solis, & aliorum ſignificatorum ſecundum ſignorum ordinem.

Aſpectus autem in Cœli domos incidentes tum ex Septenariis, tum ex novenariis ſunt iſti: anni ſeptimi Aſpectus Profectionis de oppoſito eſt ad ſeptimam. 21. de trino ad nonam. 28. de quadrato ad quartam. 35. de ſextili ad undecimam. 49. de conjunctione ad primam. 63. de ſextili ad tertiam. 70. de quadrato ad decimam. 77. de trino ad quintam. 91. de opppſito ad ſeptimam: in novenariis, noni anni Profectionis Aſpectus, de trino eſt ad nonam. 27. de ſextili ad tertiam. 45. de trino ad nonam; 63. de ſextili ad tertiam. 81. de trino ad nonam; & hi ſunt aſpectus in Cœli domos incidentes: cæteri autem anni intermedii nullum habent aſpectum: periculoſi autem ſunt ex Aſpectibus, Tetragonus & Oppoſitio, nec non Sextilis maleficorum in ſignis longarum aſcenſionum, ſicuti Trinus in ſignis brevium. Conjunctio autem eſt ancipitis naturæ, cum bonis bona, cum malis mala: quadratus verò, & oppoſitio beneficorum parum nocet: & hæc eſt ſecunda Septenniorum diviſio.

Notandùm etiam eſt, quod ipſi Anni Climaterici, ut tales ſunt, non ſunt lethales, ſed aliquam afferunt mutationem in complexione, & ſi eo tempore adjuvatur Geneſis ab aliqua benigna directione, evaneſcit Climaterici robur; ſi verò accidat mala Revolutio & bona directio, res medio modo ſe habet, ſed periculum eſt ne in pejus ruat; ſi verò ſit mala Revolutio, Profectio, Directio, Tranſitus, tunc actum eſt de vita: ſumuntur verò Profectiones hæ ex ſigno Horoſcopi, qui triginta gradus quolibet anno percurrens de domo in domum ingreditur, unde Anni ultra Hebdomaticos & Enneaticos alii inſurgunt, tum mutationem afferentes, tum pernicioſi & lethales: & hoc modo perſpici poteſt, an Septenarii, vel Nove-

narii


narii sint futuri lethales aut salubres, sed quia, ut dixi, respectu locorum, ubi maligni vel benigni Planetæ adsunt, incidit significatorum Profectio, qualis sit futurus annus, judicato.

Periculosi etiam sunt anni. 6.18.30. 42. 54. 66. 78. 90. quia Horoscopus Profectione venit ad sextam. sic, 7.19. 31.43. 55.67.79.91. & tunc est ad septimam: amplius, 8. 20. 32. 44. 56. 68. 80. 92. & tunc est ad octavam mortis: considerandæ autem sunt tum Profectiones Horoscopi, tum medii Cœli & aliorum significatorum, si perveniant ad domos Cœli infelices, tum ad hostiles Planetarum radios illuc corpore, antiscio, vel contra antiscio existentium, quæ omnia sunt observanda: nunc autem claritatis gratiâ XII. adduco Illustrium Geniturarum exempla.

GENI-

GENITURA XXI.

Federicus Feltrius, Urbini Princeps.




Nobilis est hæc Genitura, quia majori ex parte Planetæ in suis dignitatibus reperiuntur: domina Ascendentis est Luna juncta Veneri in sua exaltatione, cum autem nullo aspectu Mercurius configuretur, de Epilepsia & insania natum affligit, Ascendens ipsum signum mobile, Mercurius in propria domo, ubi capiti præest, affligitur Martis conjunctione in signo communi, unde respectu tum loci Mercurii, Martis, tum Horoscopi, decernitur natus lætus, mutabilis, ad amorem proclivis, & Musicæ amator.

Captus ergo amore cujusdam fœminæ histrionicam exercentis, die 28. Junii 1623, vesperi publicè apparuit Comœdus, die 29. mane seminudus è fenestra Aurigam de equis allocutus est paucis ab hinc horis Aulici expectantes eum surrecturum, cum iturum venationi destinasset, mortuum in lecto reperiêre.

In figura omnia apparent, Sol est cum Pleia. ibus, Mercurius & Mars cum violenta Stella Oculi Tauri de natura Martis, Hercules in Horoscopo ubi Martis Antiscium, cauda Draconis in Cœli culmine; cum autem Profectio Ascendentis illius Anni esset ad sextam, ubi oppositum Mercurii & Martis, & locus Saturni & Ascendens directione pervenisset ad Antiscium Martis absque latitudine, obiit Anno Ætatis 18. Climaterico mense primo cum dimidio.

GENITURA XXII.

Virginius Cæsarinus Princeps.




Tot Planetæ in signis aëreis faciunt ingenio præclaros, ad omnia aptos, ut in hac genesi ex Stellis insignioribus Horoscopo & Medio Cœli, magnis honoribus elatus ad majora pervenisset, fuit enim (ut dicunt) Urbani VIII. Aulæ Magister. Ascendens enim Urbani est Medium Cœlum Principis, Multi enim ad altiora sic elevantur, dum adest Genituræ cum aliqua Principum consensus: brevem tamen vitam, luminaria in cadentibus Cœli locis demonstrabant, & Mars hostili radio Horoscopum affligit: nescio autem, quid evenisset, si tam citò non obiisset, Mars enim est in septima cum Capite Medusæ: macie autem consumptus fatis cedit 1624. die 11. Aprilis; tunc erat directio Ascendentis ad Stellam Martialem Cordis Scorpii, & Profectio Horoscopi erat ad quartam, quam foveam vocant, ubi quadratum Martis, & Mars ad proprium quadratum in Leone Anno Climaterico 28. cum mensibus quinque & diebus viginti.

GENI-

GENITURA XXIII.


Antonius Fachinettus Cardinalis.



Qui ægrotant, aut mutationem inſignem in ſeptimo experiuntur, hi, vel maleficum Planetam, vel malum radium ex ipſis in Occidente habent. Eminentiſſimus hic habet Saturnum in Sagittario ſigno igneo, annoque ſeptimo ægrotavit usq; ad mortem, tamen acuta ægritudo verſa eſt in chronicam, tum ex Saturno in ſeptima, tum ex directione Horoſcopi ad ejus oppoſitum, cum autem perveniſſet Profectio horoſcopi ad ſeptimam, ubi Saturnus & directio Lunæ ad corpus Martis, obiit anno 1606. Maii, ætatis verò Climaterico 31, cum menſibus dubous vix completis.

GENITURA XXIV.

Bernardus Veimarius Dux.




Luminaria in angulis, & in suis dignitatibus, Jupiter, Mars & Venus in propriis domiciliis virum insignem, tum in divitiis, maximè ex arte Militari, tum in honoribus demonstrant; cum autem dominus Ascendentis sit in duodecima, dominus duodecimæ in medio Cœli, & dominus medii Cœli in septima carceres designant, quos bis est expertus & inimicitias multas, de inimicis verò victoriam, quia Luna domina decimæ in sua exaltatione est in septima, & Mercurius in Cœli culmine: ex Luna verò in septima cum cauda Draconis, quadrato Mercurii & opposito Martis, pericula violentiæ, mala enim mors imminebat & inopinata, ut sub Cæsare Ferdinando II. notum est: laudabilium morum facit spica Virginis in Horoscopo, unde à Principibus magnis valde in ratione habitus, à propriis militibus multum dilectus, quia non tanquam Princeps, sed tanquam pauper miles omnibus periculis expositus, obdormiebat in nivibus & pluviis, vocabatque subditos milites fratres, & socios. Anno ergo 1639. Julii die 15. Basileæ januas pertransiens, non bene se habere cognoscens, festinavit Neoburgum, ubi die 18. moritur, tunc erat directio Ascendentis centralis ad Corpus Martis anno Climaterico 35. minus diebus 27. & Profectio Ascendentis ad quadratum Martis.

GENI-

GENITURA XXV.


Philippus III. Rex Hiſpaniarum.



Hic Rex longioris vitæ eſſe non poterat, cum luminaria ſint ſub terra, & in cadentibus platico Martis oppoſito afflicta, cum autem Aſcendens anno 1614. perveniſſet ad Saturni quadratum, die 2. Julii incœpit ægrotare lenta febre, quæ 1.. . dies tantum perduravit; ſed quia nullus in Nativitate hac eſt Saturno potentior, cum ſit dominus Horoſcopi, & in ſua domo reperiatur, nullaque poſtea fortis, & benefica directio usq; ad annum mortis ſuccederet, fluxione humorum acri tunc introducta in partes ſpirituales, in ſpeciem phtyſis incidens, irritis remediis, nil mirum ſi ſuccedente directione Horoſcopi ad Solem, natura Martis imbutum, & ad Lunæ quadratum, Profectione verò Horoſcopi ad ſeptimam, ubi oppoſitum Martis, anno ætatis 43. Climaterico 1621. menſe Aprilis diem clauſit.

GENITURA XXVII.


Marcus Antonius Columna Comestabilis Regni Neapoli.



Hic fuit Siciliæ Prorex, post patratam Victoriam contra Turcas 1571. & tunc regebat Classes Pontificias, nam initum erat fœdus inter Pontificem, Hispanum Regem & Venetos, hoc demonstratur ex constitutione Martis, Jovis & Mercurii in quinta, nec non sextili Lunæ ad Venerem & Solem, Sol enim etsi in sexta cum Venere, in Veneris exaltatione respiciens de Trino Medium Cœli demonstravit officia, administrationes, negotia cum Principibus, ex quibus divitiæ affluxerunt, nam Luna domina medii Cœli in quarta stabilium; cum autem sit eum cauda draconis, & in suo detrimento, dispendia multa in illis expertum esse, credendum est: vocatus ergo à Rege in Hispaniam 1584. progreditur, & in itinere prope Medinam Cœli ægrotans in ea civitate die 20. Julii obiit. Anno ætatis 49. Climaterico cum mensibus ferè quinque ex directione Ascendentis ad quadratum Martis, & tunc Profectio Ascendentis erat ad primam in quadrato Lunæ, & Profectio Saturni & Martis erat ad locum proprium.

GENITURA XXVIII.

Andreas Cardinalis Perettus, Romanus.




Spica Virginis in Cœli culmine partiliter cum Luna & Parte Fortunę, quamquam adſit Jovis oppoſitum, eminentiſſimā dedit dignitatem, & Pontificiam, ſi ſupervixiſſet: demonſtrant etiam hoc receptio inter Saturnum & Martem, nec non ſtatus Solis in domo Jovis, & Jovis in exaltatione Solis, non defecerunt illi hoſtes invidi, Mercuriales, Eccleſiaſtici, occulti tamen, ex Mercurio in duodecima, (nec non Saturno,) qui cum corde Scorpii in ſextili Martis, indicavit quandam crudelitatem, quam credo prudentia tectam fuiſſe; cum ergo perveniſſet Aſcendens, & Sol ad quadratum Saturni, & Profectio Horoſcopi ad octavam domum mortis, Anno 1629. die 4. Auguſti ex febre, & fluxu ventris obiit, ætatis anno 56. Climaterico cum menſibus circiter octo.

GENI-

GENITURA XXIX.


Dominicus Molinus Venetiarum Ducis Frater.



Mars in sua exaltatione cum cauda Draconis in Horoscopo, motus dedit violentos, & quamquam sit receptio ex domicilio inter Martem & Saturnum, pericula tamen Martialia, calumnias ex Mercurialibus, malaque corporis & animi expertus est: cum autem Ascendens Urbis esset in Septima cum Nodo Boreo & parte fortunæ in opposito Martis, inimicitias quamplurimas demonstravit cum Patritiis Venetis, unde mala imminebant, quæ nota sunt. Dum ergo Sol constitutus Apheta dirigebatur ad Antiscia Mercurij malefici & Saturni, Anno 1635. ætatis verò 63. Climaterico, eodem mense, quo natus fuit, die vero 16. hora secunda noctis expiravit; ex duplici tertiana continua, quæ die septimo Novembris eum invasit.

GENITURA XXX.

Clemens Octavus Pontifex Maximus.




Spica Virginis in Cœli medio, in Oriente Cor Scorpij, in Occasu Aldebaran, in nona Religionis Regulus, Stellæ fixæ, quæ magnas afferunt felicitates, maximè, quando à beneficis sustentantur. Luna in sua exaltatione in quinta Legationes largitur, & in Poloniam missus est. Pars fortunæ cum Venere in secunda divitias ex Ecclesiasticis; Jupiter verò in domo propria cum Sole & Mercurio dant Religionem, & per eam honores, fovetur enim Trino Martis: pericula multa, animique pathemata dedit Mars in octava, Saturnus in nona prope Cor Leonis, odia Principum, quæ est expertus: incidit in hydropem, & quamquam ex incisione expectaretur sanitas ex directione Ascendentis ad oppositum Saturni, Anno 1605. die 3. Martij ætatis verò 68. cum diebus septem, Climaterico ex Profectione Ascendentis ad octavam, ubi Mars reperitur, Homo cedit naturæ.

GENI-

GENITURA XXXI.


Octavius Cardinalis Bandinus Florentinus.



Spica Virginis cum Venere in Cœli medio dedit Ecclesiasticas dignitates: Mars dignitatem commutans cum Mercurio, Saturnus cum Capite Medusæ, prope Pleiades in opposito Mercurij, & Trino Martis in sexta, nec non Lunæ in quadrato Jovis, & opposito Solis affectus cerebri ex humorum redundantia decernunt. Saturnus enim in sexta ægritudinum dat morbos ex frigidis humoribus, quos fuit expertus, maximè quando Ascendens pervenit ad quadratum Saturni in Anno ætatis. 66. cum autem Profectio Horoscopi pervenisset ad nonam, ubi proprium quadratum locum Martis, & Mars ad proprium quadratum in septima, & Saturnus ad suum quadratum, directio verò Ascendentis ad quadratum Mercurij malefici ex opposito platico Saturni Anno 1629. die 24. parva febre corripitur, parumq; in dies exasperata, sed succedente magna fluxione ad partes spirituales, die prima Augusti suffocatus obijt. Ætatis Anno 70. Climaterico cum mensibus circiter novem.

GENITURA XXXII.

Paulus Tertius, Pontifex Maximus.



Multa habet consideratu digna hæc figura, quæ cum non sit admodum felix, felix tamen secutus est eventus. Saturnus enim est in suo casu, Mars & Jupiter in suo detrimento, Sol peregrinus, Venus & Luna in sua exaltatione, Mercurius in suo Trigono. Horoscopum & Mercurium pulsant de quadrato, Mars & Luna simul platicè juncti, Jupiter verò beneficio respicit trino; Saturnus est cum parte Fortunæ in secunda, bona quidem est cum Capite Draconis, Solis & Veneris constitutio in Piscibus in Ascendente: ex privata ergo vita & exigua fortuna ad tantam dignitatem evectus est, coadjuvante Aqueo Trigono, qui 1463. ad

ad Pisces rediit, ubi Paulus habet Nodum Boreum, cum Sole & Venere, quod non observarunt Gauricus, Cardanus cum aliis, magna admiratione correpti de exiguo ad summum rerum Statum. Anno ergo 26. vix completo ab Alexandro Sexto Cardinalis eligitur; hinc colligitur, quod ubi Astrorum constitutio in Genesi infelix est, & nihil ex ipsa boni expectari potest, consensus genituræ cum Principibus, vel magnæ Planetarum Conjunctiones habentibus Luminaria, Medium Cœli, Horoscopum, vel partem fortunæ in illarum Conjunctionum locis, absque alia cœlesti causa ad maximos sublevant honores. Alexander Sextus habebat Mercurium in Aquario, ut Paulus in Ascendente, Sol etiam cum capite Draconis in Horoscopo, in Sextili Solis & Ascendentis Pauli.

Anno ergo ætatis 61. cum dimidio circiter, ex directione Lunæ prope Plejades ad quadratum Saturni, cecidit in flumen, ubi ferè submersus est: hoc periculum, sicut tempus assumptionis ad Pontificatum, & mortem prædixit Paris Cæresarius, Astronomus peritissimus. Paulus autem fuit vir prudentissimus, scientiarum peritus, & quod maximum est, Litteratorum amator & Mæcenas, à quo honores & bona habuit Gauricus: morbis paucis subjectus, vitæ verò diuturnæ, & quæ mala in moribus Mercurius, quadrato Martis & Lunæ afflictus, ostendebat, prudentia moderavit. Cor Leonis in septima in senili ætate magnam dignitatem paravit, qua potitus est summa cum felicitate, sed quia locus Occidentis ab opposito Mercurij, & quadrato Martis & Lunæ affligitur, Trino verò Saturni & Sextili Jovis fovetur, bona malis mixta, felicitatem & calamitates, animiq; pathemata horum aspectuum confusio demonstrabat; cum ergo pervenisset Sol ad Trinum Mercurij, cum testimonio Jovis & Saturni, Pontifex eligitur Anno 1534. die 13. Octobris, quo tempore Jupiter pervenit ad Horoscopum in Aquario ad locum Mercurij, & Saturnus in Cancro respiciens Solem & Mercurium in radice de Trino. Occisus autem fuit die 10. Septemb. An. 1547.

ejus filius Petrus Aloysius Farnesius, Dux Placentiæ, &c. dum ergo Octavius Nepos insalutato Avo, repentino discessu clam Parmam petiit, ut patris Civitates recuperaret, iratus Pontifex, febre magna correptus, quinque dierum spatio dies suos clausit Anno 1549. die 2. Novembris ætatis suæ 81. cum mensibus octo, & diebus circiter 16. ex directione Ascendentis ad suum Trinum, qui pro quadrato habetur, quia est in signis brevium Ascensionum, profectio verò Ascendentis erat ad octavam mortis, ubi oppositum Saturni.

Sed satis exempla; quis negabit illorum Successus experientia comprobatos nisi stultus aliquis, vel ignavus? Datur *Fatum* in Annis, & tota vita hominis fatalis est; neq; credendum est insanæ plebi, & quibusdam alijs, qui ad hoc, ut inter præclaros celebrentur, audent negare virtutem Annis Climatericis (& si hos vel concedunt, vel observant solum de Septenarijs, & Novenarijs eorum cognitio est) & sic credunt destruere Astrologiæ fundamenta, dum multi in his annis feliciter vitam degêre, & in non Climatericis mortui sunt; putant forsitan isti, quod ego hujusmodi exempla nondum oculis proprijs conspexerim? Sed si isti non ignorarent, & melius intelligerent quæ scribo (ordine tali, ut credam ab alijs non fuisse Climatericorum vires explicatas) ô quam bene cognoscerent causas harum mutationum; Sed Saccharum Prisaco, bovi fœnum.

Fatis agimur, cedite Fatis
Non sollicitæ possunt curæ
Mutare rati stamina fusi;
quidquid patimur mortale genus
quidquid agimus, venit ex alto:
non illa Deo vertisse licet,
quæ nexa suis currunt causis.

DIAS

DIAS
FORTIS

ELOHIM SABAOTH *MAIESTAS.*

SENSUS EXTERIOR.

SECHEL.

PRINCIPATUS

VENUS.

SPHÆRA TERTIA,

FATUM IN ANNIS AN EVITABILE.

FAtum ab Astris impressum, cum homine enatum, vitam fatalem constituens, per tempora fatalia ipsum percurrere faciens, longam aut brevem vitam decernit, etsi

Hominum brevibus spatiis constringitur ævum.

Dari Annos fatales jam demonstravimus; an verò his datis, quales descripsimus, vita hominis longius produci possit, & an superatis his annis fatalibus, cum aliis adjunctis sit terminus vitæ præscriptus, ut homines etiam in bonis directionibus, annuis revolutionibus prosperis, in annis non fatalibus mori possint? nunc ad primum punctum explicandum accedamus,

Diximus supra in his Annis, ut Climatericis, simplicem numerorum adesse virtutem, quæ excellentiam ex observatione, tum Antiquorum, tum Recentiorum adepta est, unde his datis (sublatis directionibus & aliis) vita ad beneplacitum produci potest, quia alteratio, quæ ex his sequitur, erit alicujus, aut nullius momenti; quidquid sit, lethalis esse nequit, ni velit homo sponte sua in libitinæ peculium se intromittere; addo verò, tunc fieri mutationes ex his numeris simplicibus, quando adest parvus calor, & ille sit læsus, vel à nimia Venere, & tunc spiritus vitales evolant, vel à nimio cibo & potu suffocante calorem, unde omnis parva alteratio, ut plurimum in his, in lethalem convertitur.

Duplex enim est calor in homine, alius innatus, qui immediatè gignitur & semine & sanguine menstruo, & hoc calidum omnia membra efformat: duæ ab ipso oriuntur virtutes, immutativa una, in qua residet alteratrix, & hæc omnibus membris præbet temperaturas; alia est formatrix, & hæc dat compositiones: prodeunt ergo hæ duæ à calore archigono innato, qui est vitæ principium, universa substantia & initium omnium operationum, habens in se vim calefaciendi, refrigerandi, humectandi, & exiccandi; & hic calor innatus primigenius ab ortu naturæ, non est calor simplex temperamenti, sed temperamentum ipsum, in quo constat

vive-

vivere & esse; hoc autem temperamentum dupliciter consideratur, ut accidentale, & est in primis qualitatibus, vel essentiale, & est respectu quatuor Elementorum, ex quibus componitur mixtum; ex primigenio verò innato datur alius calor ex primo productus, à quo facultates famulantes oriuntur, ut nutrix, auctrix, non verò generatrix, & formatrix, quæ ad primum spectant; utrumque autem calorem esse temperamentum formaliter essentiale partium similarium, ab Aristotelis, Hippocratis, & Galeni documentis, pluribus in locis confirmatur.

Secundus calor in homine vocatur influens, qui quidem in se ipso suum innatum habet calorem, transmittitur verò à corde, & à cerebro in singulis corporis partibus suas præbens virtutes; hæc verò virtus influens non est tanquam forma partium, sed est tanquam materia & pabulum calidi innati; ex calore ergo tum Archigono, tum influente, resultat quoddam tertium temperamentum mixtum, quod est tanquam forma totius partis viventis, & immediatè & completè edit omnes operationes, hinc per ipsum jecur sanguificat, ventriculus chylificat, & quælibet pars corporis proprias efficit operationes.

His positis necesse est scire, quod idem calor nativus primigenius, qui gratiâ conservationis vitæ humanæ genitus est, ille idem nos perducit ad mortem, agit enim semper in humidum exiccando, ut habet Galenus multis in locis, & præcipuè libro primo de tuenda sanitate cap. 2. dicens: Calidum innatum semper exiccare proprium humidum, & nos perducere ad mortem; exiccat autem superfluam humiditatem partium corporis, & dat ipsis robur usq; ad ætatis vigorem, sed roboratis partibus, adeo perseverat in exiccando humidum radicale, ut tandem nos perducat ad virium debilitatem, quæ est ipsa senectus & mors. Secunda interitûs nostri causa ex hoc deducitur, quia tantum non apponimus, quantum de continuo deperdimus, cibus autem & potus quotidianus remittunt, quantum possunt, non quãtum esset necesse; hinc hæc remissio non est æqualis fluori totius

ſubſtantiæ, qui ab eodem calore nativo de continuo fit, ſic ex his cauſis corpora humana in immortalia tranſire non poſſunt.

Calidum ergo innatum penes ſubſtantiam caloris, neque augetur, neque conſervatur ſicut erat, neque poteſt, quia ſemper minuitur; ſi verò conſideratur penes quantitatem, quæ oritur ex alimento, poteſt augeri & conſervari, ſicuti fit poſt optimi meri potum, poſt cibum, poſt ſomnum.

Dato ergo corpore optimi temperamenti, cum calore tam innato, quam influente à pravo vivendi uſu alieno, dico Annos Climatericos nihil damni eſſe allaturos, modò potentes directiones malæ non obſtent: nam ſi hoc non eſſet, ſequeretur mori tempore directionum; vel aliquid mali eſſe paſſurum, & in Climatericis benè ſe habiturum.

Addo ſemper obſervatione dignum, quod malefici, vel corpore, vel radiis hoſtilibus, dum reperiuntur in ſexta, & præcipuè octava, vel alijs domibus cataphoris, pariunt annos illos ex ſexta & octava ſumptos ſemper periculoſos, unde homines ægrotare poſſunt, & aliquando ab illa ægritudine evadere, inſtituto optimo vivendi regimine, ſicut & mihi evenit; ſed ſi non ſunt in his locis malefici, vel tantum radij eorum hoſtiles, detrimenta aliqua afferre poſſunt, minus tamen reſpectu conjunctionis corporalis; quod ſi non ſunt neque cum corpore, neq; cum radiis, ſed corpora beneficorum, vel radij ibi reperiantur, Anni à ſexta & octava inter bonos computabuntur.

Directiones autem diligentiſſimæ obſervandæ ſunt, an incidant in locis infortunarum, an illa directio Aphetæ ad Anæretam ſit læthalis; an fortis ſit Apheta, debilis verò Anæreta, an recipiatur radijs benigni Planetæ, vel corpore ibi inveniatur, & ſi mala directio ſit in termino benefici, an obſtet annua Revolutio vel menſtrua, tempore directionis, vel aliquis tranſitus ſuper locum directionis eam poſſit minuere, vel augere; mala enim ſi erit directio in termino malefici, cum mala Revolutione, & tranſitu infortunarum exiſtente debili Apheta, tunc actum

actum erit de vita; si verò succedat salus ex votis ad Sanctos, & intercessione alicujus Divi Protectoris apud Deum, tunc illa sanitas erit miraculosa, sed ex hoc non sequitur, quod Ars sit falsa & vana, sicut quidam fatui credunt, nescientes, quod ad hanc scientiam multi sunt vocati, pauci verò electi; Miracula ego non nego, & credo verissimum esse illud,

Astra regunt Orbem, sed regit Astra Deus.

Fortis verò dispositor, debilis vitæ abscissor, etiamsi mala sit Revolutio & directio, periculum mortis aderit, non tamen spe deficiente salutis; Sic bona Revolutio minuit malitiam malæ directionis; sicuti variæ directiones significatorum ad promissores tum bonæ, tum malæ, vel nihil agunt, vel si agunt, aliqua ex ipsis alterâ fortior antecedit, altera debilior, vel evanescit, vel retardat, quæ quidem omnia à peritissimo Professore sunt observanda, & peroptimè Planetarum loca supputanda, ne malè supputata pariant effectum directionis (alia causa non obstante) ante tempus, quo esse deberet, vel post; & sic judicium de radiis ipsam fruentibus, benignè vel malignè intuentibus vanum fiet.

Ex his ergo deducitur, hominem posse vitam minuere pravo vivendi regimine, nimio alimento, tum aliis additis: nam extrema repletio suffocat calorem, & omnino aufert vires inservientes vitæ instrumentis: Dico aliis additis, hoc est nimia Venere, ex qua sequitur evacuatio, resolvens tum spiritus, tum humores: imò nimius meraci potus malus est, etsi enim calidus sit, nam innatus calor à nimio calore adveniente tum affligitur, tum destruitur & consumitur; Hinc Arist. 3. Sect. Probl. primo inquit. Vinosos non calere, licet vinum calidum sit, imò morbis frigidis tentari, quia valde calida superant naturam, & nativum suffocant calorem: Sic mala est refrigeratio, tum à frigido positivo, tum à frigido poten-

potentiali, & per hæc vita brevis fit, annique Climaterici, & directiones non lethales sæpissimè in lethales convertuntur.

Vita verò diutius prolongari potest per contraria vitæ brevis, oppositorum enim eadem est Ratio: hinc dicebat Diogenes, insanum esse à Diis petere, quæ in nostra potestate sunt, intelligens Philosophus hic de modo gubernandi vitam nostram.

Datis ergo his Annis Climatericis, vita & diminui, & in longum protrahi potest causis supra enarratis; adjuvat ad hoc Ars Medica, tum ad conservationem salutis, tum ad fugam ægritudinis, in quantum potest: hinc dicunt,

Quod Medici didicêre moras innectere morti.

Conservatūr enim corpus sanum, tum per normam victûs, tum per prohibitionem excrementorum in copia, sublatis etiam animi passionibus, adjuvante aliquo medicamine viscera roborante, spiritusque vitales augente, ut esset Quinta essentia perlarum, earum Sal, & Arcanum cum cardiacis permixta; sic Sal Corallorum, eorum Tincturæ, Liquores Gemmarum, Elixir proprietatis Paracelsi, Elixir Raymundi Lullij, Tinctura Auri Quercetani, in qua observandum est, ut aurū bene per Antimonium purificetur, Regulus Antimonij fiat cum Marte, & ter purgetur, ad hoc ut fiat stellatus; aurum enim est omnium vita, hinc inquit Hermes, quod in Sole & Sale omnia continentur, reducitur autem potabilis, quod non per aliud mirificè & physicè dissolvitur, quam per menstruum Universale, & Mercuriale Sophorum, quod est totius naturæ desideratum Arcanum: nulla mihi videtur melior præparatio, quam Crolliana. Item Quinta Essentia Sanguinis humani, ex qua mira ex ejus usu enata sunt, sed ejus vera electio & præparatio nondum à professoribus inventa est, quia necesse est uti Annulis Platonis, sed mihi non incognita; Sic Lapis Philosophicus, cujus compositio non est tam ardua & difficilis, sed facilis homini mago, confectus enim fuit ab Arnaldo, Raymundo Lullio, Paracelso, Basilio Valentino & aliis, sed nostris temporibus Petrus Faber ipsum

ipſum confecit: audiant naturæ indagatores, Auctores diverſo modo ſcribunt, arcanum ænigmatibus abſcondunt, compoſitio eſt ex Triade, in qua, binario excluſo, remanet incomparabilis & virtuoſa Monas. Alia mirabilia compoſita reperiuntur in libris Chymicorum, ut eſſet in Cœlo Philoſophico Ulſtadij, Pantheo Hygiaſtico Deodati & alibi.

Sed aër externus, in quo vivimus, eſt cauſa tam brevitatis, quam diuturnitatis vitæ, unde ejus electio neceſſaria eſt; ſub Circulo enim æquinoctiali temperata habitatio, niſi maria, vel montes impediant, ſic inter Sextum & Septimum Clima, referunt in Regione Sinarum homines multò longæviores eſſe, quàm in reliquis Aſiæ Provinciis, ita ut multi perveniant ad ætatem ducentorum Annorum, & ſint corpore adhuc firmo, & pleni vigore mentis & ſenſuum: recordor ego, quod aër medius eſt eligendus inter qualitates activas & paſſivas, longinquus à locis putridis, ubi aquæ mortuæ reperiuntur, & ſi talis non eſt, melior arte paretur, quod facile eſt.

Poteſt etiam vita prolongari imaginibus Aſtronomagicis, quibus antiquiores magi uſi ſunt, vel in lapidibus appropriatis Planetis, vel in Metallis adjunctis vegetabilibus. Sic Petrus de Abano ſcribit medicum per Imaginem poſſe curare infirmum: Ferunt Hiarcam Sophorum Indiæ Principem, ſeptem annulos hac arte confectos tradidiſſe Apollonio Thianeo, qui ſingulis diebus in digito geſtabat, juxta nomen & qualitatem diei, & vixit usque ad annum centeſimum cum trigeſimo: Fiunt verò tales Imagines virtutibus miris inſignitæ, ſed requiritur temporis electio, nec non optima Cœli poſitio, ut ſuo voto potiantur. De his ſcripſit Thebith Benthorad, Ptolomæus, Marſilius Ficinus, Picatrix, Cornelius Agrippa & alij, ſed veram compoſitionem & infallibilem nullus ex his invenit, quæ conſiſtit in Themate Natalitio: ſatis ſit, rem tetigiſſe: Sed de his hactenus.


Ex ſupradictis ergo patet, quod his obſervatis, pro vitæ lon-

gitudine, Anni fatales non lethalem patient mutationem, nullam verò concedere est impossibile, nam malæ directiones & & revolutiones (aliis consideratis) pericula adducent, sed non lethales erunt futuræ; ex debili verò vitæ datore, pessima adveniente tum directione, tum revolutione cum Anno Climaterico, impossibile est hominem non mori, quod naturaliter intelligo, non enim sum tam fatuus, ut miraculorum virtutes supranaturales negare velim, quod autem verum sit, infelices directiones, quæ mortem inducere aptæ erant, solum pericula magna demonstrasse, & homines ab orco ereptos, postea per aliquot tempora vixisse, exemplis sequentibus res fiet clara.

GENI-

GENITURA XXXIII.

Franciscus Lesdiguerius Marescallus Franciæ.




Vir in Arte militari Celebris, qui assiduò prælhis interfuit. Miles fortunatus & suorum inimicorum victor, ex situ Martis in duodecima, etsi in suo detrimento. Diuturnæ verò vitæ, sed variis & periculosis ægritudinibus correptus, ex opposito Saturni & Martis domini sextæ: Anno enim 1601. pervenit Horoscopi tum profectio, tum Directio ad quadratum Martis, & 1605. profectio ejusdem Horoscopi ad septimam, & Directio ad quadratum Saturni, ex quibus quidem Directionibus Mars erat præ fotibus: vidit annum ætatis 83. sed non complevit, nam Sol cum directione pervenisset ad proprium quadratum, mense Septembris Anni 1626. diem clausit.

GENI-

GENITURA XXXIV.

Dominicus Cardinalis Gymnaſius,
Bononienſis.




Eminentiſſimus hic ætatis Anno 27. cum dimidio, ex quadrato Martis ad Aſcendentem, fuit in periculo mortis; Anno verò 1639. ætatis 87. menſe ferè nono die 12. Martij, nocte tamen, ex improviſâ fluxione humorum, ad fauces ſuffocatus obiit: eratque directio Horoſcopi ad ſuum proprium quadratum, & ad corpus Lunæ

GENI-

GENITURA XXXV.


Laudivius Cardinalis Zacchia, Ianuensis.



Huic Emminentissimo, Anno ætatis 35. pervenit Profectio Ascendentis ad corpus Saturni, & ad oppositum Martis, & circa anni dimidium, pervenit Directio Ascendentis ad quadratum Martis, & anno 36. mense tertio ad quadratum Saturni, & Profectio erat ad oppositum Solis & Mercurij, unde ex his directionibus malè habuit, non sine vitæ manifesto periculo; vixit tamen usq; ad annum 1637. ætatis verò 70. mense quinto circiter. Augusti enim die 12. ægrotare cœpit ex febre continua mali moris cum inappetentia, deinde raptis humoribus ad caput, incœpit delirium, quod tandem conversum in Lethargum ex directione Ascendentis ad quadratum Solis; die 30. obdormivit in Domino.

GENITURA XXXVI.

Vrbanus Octavus Pontifex Maximus.




Sol in nona, in sua exaltatione commutans dignitatem cum Marte, Jupiter cum parte fortunæ in propria domo, sic Luna, Venus in sua exaltatione, Ascendens Romæ Genituræ Horoscopus, quid amplius? pro tanto Viro hæc forsan pauca fuêre. Anno 1600. propè finem pervenit Directio Ascendentis ad corpus Saturni, Profectio verò ad octavam, ubi Venus & oppositum Saturni, morbo corripitur: Anno verò 1623. die 6. Augusti Pontifex eligitur, & feliciter annos 21. minus diebus septem vitam duxit, quod mirum; ex directione Ascendentis ad solis oppositum, quæ ex Ptolomæo eadem censetur, quæ Solis ad gradus Occidentis 1644. die 29. Julij, ætatis verò 76. cum mensibus ferè tribus, Homo communi fato succumbit.

GENI-

GENITURA XXXVII.


Tiberius Cardinalis Mutus, Romanus.



Caput Draconis cum Venere & Jove, nec non Luna in propria domo in nona, Mercurius Dominus nonæ cum Sole in decima, dignitates maximas causa Religionis demonstrant. Quando verò Medium Cœli directione ad Cor Leonis pervenit, Cardinalis eligitur. Anno 1625. ætatis 51. cum mensibus duobus circiter, ex directione Ascendentis ad corpus Martis acuto morbo correptus est, tunc erat profectio Horoscopi ad Corpus Saturni & caudam Draconis. Anno 1636. Horoscopus dirigebatur ad corpus Saturni, & Mense Martij die 24. incœpit ægrotare febre & dolore Nephritico, die verò 14. Aprilis ætatis Anno 61. cum mensibus novem moritur, sic eadem directio, quæ Urbanum Octavum occidere non potuit, hunc interemit.

GENITVRA XXXVIII.

Lælius Cardinalis Biscia, Romanus.




Luminaria in hac Genesi malè constituta sunt, Sol Marti junctus, Luna in quadrato partili Saturni, ipseque Saturnus in septima de opposito partilissimo Dominum Ascendentis, ipsumque Ascendens affligit, cauda draconis in sexta. Vitam ergo ægritudinibus variis subjectam faciunt, non sine aliquo affectu insanabili, fistulam enim in renibus patiebatur. Anno ergo 1605. Maij ætatis 29. cum mensibus undecim acuta correptus ægritudine fuit, nam Horoscopus dirigebatur ad corpus Solis, natura Martis imbuti, eratque Profectio Ascendentis ad sextam, ubi cauda, & ibi cadunt quadrati radij Solis, Martis, Jovis & Veneris. Anno verò 1638. Sol directione pervenit ad cor Leonis & terminos Martis, Luna verò ad corpus Saturni. Erat hoc Anno profectio Ascendentis ad Quartam, quam foveam vocant; ægrotat ergo die 12. Novembris, & die 19. in ipsam incidit, ætatis Anno 63. Climaterico, cum mensibus quinque.

GENI-

GENITVRA XXXIX.


Bernardus Colle Bellunensis, Jatrophysicus Venetus.



Præstantissimus Vir atque Eruditissimus an fuit, facile cognoscitur ex positura Mercurij in signo aereo, in quo facit ingenio præclaros; divinumque attulisset ingenium, nisi læderetur conjunctione Martis & combustione Solis, quidquid sit hoc loco, motu velocissimus est, & sub terra, unde pro artibus favorabilis, quia verò cum Marte, Medicum facit. Hic enim fuit alter Æsculapius virtute, doctrinâ Hippocrates, cæteros post se relinquens. Sorte verò quamquam parum secunda ex Jove in quarta stabilium, ejus instabilitatem contemnens, fuit enim Sapientiæ ditissimus, atque boni nominis, summæque integritatis: ex quadrato Saturni ad Horoscopum, & ex Horoscopo ad corpus Martis; ægritudines non contemnendas passus est, nec non ex cauda Draconis in septima lites, inimicitias, bonorumque perditiones à tempore Matrimonij usque ad mortem uxoris, per annos circiter viginti, non sine indicibili tolerantia. Sola Luna supra terram, cæteri Planetæ sub terra satis longævam tribuere vitam. placidè enim obdormivit in Domino, die 11. Decembris Anni 1661. ætatis suæ Anno 77. cum mensibus X. circiter.

GENITURA XXXX.

Paulus Saliceus, Civis Venetus.



Vir iste eruditus, Astronomiæ aliarumq; scientiarum abstrusarum Studiosus & tacitè Professor, ex Mercurio in duodecima cum Venere, in qua Philosophum facit acutumque tribuit ingenium. Ex Urbis Horoscopo in septima paucæ fortunæ, mala enim usque in hanc diem expertus est. Ex directione Horoscopi ad corpus Martis & Solis imbuti naturâ Martis, nec non ad corpus Saturni, ægritudines malas passus, aurâ vitali fruitur, vir dignus, ut inter præclaros collocetur.

Sed

Sed hæc sint satis, quoad primum punctum, quoad secundum verò, an superatis his Annis fatalibus, cum aliis adjunctis, sit terminus vitæ præscriptus, ut homines etiam in bonis directionibus, annuis Revolutionibus prosperis, in annis non fatalibus mori possint, nunc dicemus: arduum facinus, cum res tota ferè Theologica sit: quidquid sit;

Primò considerandus venit locus Job. cap. 14. Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est, constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt.

Secundò ex Esaia cap. 38. In diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad mortem, & introivit ad eum Esaias Propheta, & dixit ei. Hæc dicit Dominus, dispone domui tuæ, quia morieris tu & non vives, & conversus Ezechias faciem suam ad parietem oravit ad Dominum & dixit: Obsecro Domine, memento quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto, &, quod bonum est in oculis tuis, fecerim; & flevit Ezechias fletu magno, & factum est verbum Domini ad Esaiam, dicens. Vade & dic Ezechiæ, hæc dicit Dominus Deus David Patris tui: Audivi orationem tuam & vidi lacrymas tuas, ecce ego adjiciam super dies tuos quindecim annos, & de manu Regis Assyriorum eruam te & Civitatem istam, & protegam eam, hoc autem erit tibi signum à Domino, quia faciet Dominus verbum hoc, quod locutus est. Ecce ego reverti faciam umbram linearum, per quas descenderat in Horologio Achaz in sole retrorsum decem lineis, & reversus est Sol decem lineis, per gradus quos descenderat.

Tertiò ex Jona cap. 3. Et factum est verbum Domini ad Jonam dicens: Vade in Ninivem Civitatem magnam, & prædica in ea prædicationem, quam ego loquor ad te, & surrexit Jonas, & abiit in Ninivem juxta verbum Domini, & cœpit introire Civitatem, & clamavit, & dixit. Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur, & crediderunt viri Ninivitæ in Domino, & prædicaverunt jejunium, & vestiti sunt saccis à majore usque ad mino-

minorem eſt, & vidit Deus opera eorum, quia converſi ſunt de via ſua mala, & miſertus eſt ſuper malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit.

Quartò ex Ezechiele cap. 18. Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur, & vir ſi fuerit juſtus, & fecerit judicium & juſtitiā, &c. & faciat veritatem, vitâ vivet, ait Dominus Omnipotens.

Quintò ex Daniele cap. 5. de Balthaſare Rege, convivante cum optimatibus & concubinis, ebrius enim præcepit, ut afferrentur vaſa aurea & argentea, quæ aſportaverat Nabuchodonoſor pater ejus de Templo Hieruſalem, ut biberent in eis: bibebant enim laudando deos aureos, argenteos, lapideos. Eâdem hora apparuerunt digiti quaſi manus hominis, ſcribentis contra candelabrum in ſuperficie parietis Aulæ Regiæ, & Rex hæc aſpiciens mutatus eſt, & contremuit, vocavitque magos & aruſpices, ut legerent, & non potuerunt; juſſu ergo Reginæ vocatus Daniel, ſic interpretatur ſcripturam: *Mane, Tecel, Phares.* *Mane*, numeravit Deus Regnum tuum, & complevit illud. *Thecel*, appenſus es in ſtatera, & inventus es minus habens. *Phares*, diviſum eſt Regnum tuum, & datum Medis & Perſis. Eâdem nocte interfectus eſt Balthaſar Rex Chaldeus, & Darius Medus ſucceſſit in Regnum.

Sextò ex Geneſi cap. 6. Dixitque Deus, non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro eſt, eruntque dies illius centum viginti annorum.

Septimò ex David Pſ. 89. dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta annis, ſi autem in potentatibus octeginta, & amplius eorum labor & dolor.

Octavò ex Eccleſiaſte 7. verſu 16. Hæc quoque vidi in die vanitatis meæ, Juſtus perit in ſua juſtitia, & impius multo vivit tempore in malitia ſua.

Nonò ex David Pſ. 54. Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos.

Deci-

Decimò ex Ecclesiaste cap. 7. versu 18. Ne impiè agas multum, & noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo.

Undecimò ex Deuteronomio c. 5. Honora patrem tuum & matrem tuam, ut longo vivas tempore, & benè sit tibi in terra.

Duodecimò ex David Psalm. 20. Vitam petiit à te, & tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum, & in sæculum sæculi.

His positis ad explicationem accedamus. Tres sunt Personæ in Divinis æternæ, & sibi coæquales; Unus autem Deus, cujus essentia est suum esse, cujus voluntas est suum velle, & cum sit purus actus primusque intellectus, se ipsum intelligit, & præscientia sua omnia cognoscit, Immutabilis quidem est, & quod decrevit facere, nunquam mutat; hinc S. Greg. in Job lib. 15. cap. 6. inquit. Novit quidem Deus aliquando mutare sententiam, sed nunquam novit mutare consilium. *Hinc* loquitur Job. Breves dies hominis sunt, numerus mensium apud te est, constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt.

Hic locus in duas partes dividitur; de prima nullum dubium est, quod numerus dierum hominis apud Deum sit, quod intelligitur de numero certo, terminato & finito: secunda autem est examinanda. Constituere terminum, est præscribere quantum aliquis vivere possit: hic locus duplicem habet sensum: vel hic terminus est respectivus, individualis, vel absolutus? Si primus, ergo vita prolongari potest, unde nullus est terminus præscriptus, quem homines præterire non possint. Si secundus, si intelligitur hic terminus individualis absolutus, quoad durationem propriæ temperiei, dico, quod vita prolongari potest, vel impediendo nimiam humidi radicalis resolutionem, vel mutatione aëris, vel ipsa complexio in melius mutari potest; quod multoties accidit: sensum autem Job, quoad primam explicationem, duplici sensu intelligimus. Detur aliquis,

qui ratione optimæ complexionis ſit victurus annos ſeptuaginta, anno vigeſimo quinto corripitur vehementiſſimâ febre cum anginâ, ſi huic ſtatim non fiat copioſa ſanguinis miſſio, cum morbus ſit acutus, abſque dubio moritur, Medicum vocat, ſanatur. Aliud Exemplum eſt: detur Petrus, cui Deus E. G. præfinivit terminum vitalem in annis octoginta, anno quadrageſimo ægrotat febre malignâ cum exanthematibus & delirio, Medici omnem ſpem ſalutis amittunt, quia medicamenta febrem vel ſymptomata evincere non poſſunt, ſed abſque ſomno pervigil vivit aliquot dies, cura eſt in manu Presbyterorum, Petrus inſperatè ſanatur (& hoc quandoque accidit) non ſine Medicorum admiratione, dico, quod ſi Petrus mortuus eſſet, non eſſet mortuus in termino præfinito, ſed ante terminum.

Sed prima inſurgit objectio contra Aſtrologos: detur homo, cujus vita ex proprio Themate natalitio medio fortis & benefici Aphetæ (qui eſt vitæ dator) deduci poſſit uſque ad annum octogeſimum primum, examinatis ab Aſtrologis directionibus, profectionibus & revolutionibus inveniunt ſolum illum annum eſſe ultimum vitæ illius, obſervant tamen in anno quinquageſimo ſexto in Revolutionis Horoſcopo adeſſe maleficum, & nullam conſiderabilem eſſe directionem pro illo anno, beneficos autem eſſe in ſexta & octava, cum Annus ſit Climatericus ex Septenariis, prædicunt hominem illum eſſe E. G. ægrotaturum menſe Auguſti, febre tertianâ vel ſimili, ex humoribus calidis accenſis, cum autem ſexta & octava à beneficis regatur, prædicunt abſque dubio ſalutem, & confirmant eſſe perventurum ad annum octogeſimum primum, quem Platonicum vocant; ægrotat iſte menſe Auguſti, & vocatis Medicis in paucis diebus perit: nunc petunt, quomodo ille terminus ab Aſtris conſtitutus eſt? ſi ante terminum moritur, vel ars eſt falſa, vel Aſtra mentiuntur.

Reſpondemus primò terminum vitæ dupliciter poſſe conſiderari, primò quo ad Aſtra, & hoc naturaliter: nam dato verò Nativi-

Nativitatis momento vitæ terminum determinari posse, quidam credunt, dummodo Professor sit in arte peritus, & in se habeat illud Ptolomæi, A te & à Scientia: secundò, quo ad hominem ipsum: nam si non utitur optimâ victûs ratione, sed nimium indulgeat proprio genio, Veneri, vino &c. natura debilior facta, etsi morbus non lethalis sit, facilè succumbit, deficiente enim humido radicali, calidum innatū in humido excrementitio extinguitur, & sic naturæ prostitutæ etiam non lethalis ægritudo in lethalem convertitur, & tunc mors hujus hominis non est intelligenda quo ad terminum absolutum, respiciendo ad Astra, sed quo ad respectivum, nempe sui ipsius; Astrologi enim Clarissimi possunt prædicere, dato illo momento, esse perventurum ad annum octogesimum primum, cum conditione tamen, ut benè se gerat in ratione victus, Venere &c. eorum enim officium non est vivere cum hoc homine, observare quid agat, quid comedat, & similia: addo ego, quod Medici, similitudine ægritudinum propriis non propinatis medicamentis facillimè ægrotos mittunt ad Orcum, & postea audent dicere, quod fallsus fuit in prædicendo Vates, & verum esse illud Socratis, quæ supra nos, nihil ad nos: & sic hic locum habet illud Ciceronis dilemma libro de Fato: si Fatum tibi est, ex hoc morbo convalescere, sive Medicum adhibueris, sive non, convalesces: si Fatum tibi est, ex hoc morbo non convalescere, sive tu Medicum adhibueris, sive non, non convalesces, & alterutrum Fatum est, Medicum ergo adhibere nihil attinet.

Quod verò dari possit aliquis Vates, qui vaticinetur alicui ultimum vitæ terminum, & ille multò antea moriatur Medicorum incuriâ, non propriis propinatis medicamentis, vel ignoto affectu, ut sæpissimè solet, quod ab Hippocrate. 6. Epidem. S.8. confirmatur. Peritis quandoque viris similitudines pariunt errores & difficultates: dico, quod si moritur ante terminum à Vate prædictum, non sequi, Vatem illum fuisse mendacem, vel

artem, qua usus est in prædicendo, falsam: rem hanc confirmat Ausonius exemplo Medici Alconis.

Languenti Marco dixit Diodorus Aruspex,
ad vitam non plus sex superesse dies;
sed Medicus, Divis Fatisque potentior Alcon,
falsò convicit illico aruspicium,
tractavitque manum victuri, ni tetigisset
illico, nam Marco sex periêre dies.

Sed instant ex supradictis, ly, præteriri non poterunt, nullum habet refugium, ergo nulla responsio.

Respondemus habere refugium, dum non intelligatur de termino absoluto à Deo præfinito, in quo casu Deus non potest mutare decretum, quod confecerat E. G. Joannem esse victurum annos septuaginta: nam illa divina ordinatio, ut infallibilis, est etiam immutabilis, & sic perveniens Joannes ad annum septuagesimum, ægrotat, neque vota valent, neque preces Justorum, sed necesse est ut moriatur, quia si Deus mutaret ordinem suum, fieret diversæ naturæ, & per consequens dato uno absurdo, multa inconvenientia sequerentur.

Objiciunt secundò, Deum mutasse decretum in Ezechiâ medio Prophetæ, ergo divina ordinatio est mutabilis, & per consequens dato uno casu, multi sequi possunt.

Respondemus falsum esse, Deum mutasse decretum: nam si hoc esset, sequeretur quod Deus cessaret esse Deus, sed hoc est impossibile, ergo omnino impossibilis est mutatio decreti. At quo ad Ezechiam dicimus, quod illo tempore peste erat infectus cum Anthrace, unde mors erat propinqua, quia pestis est venenum lædens subitò cor, & sic hominem enecat: unde secundum causas naturales & secundas erat moriturus; Deus autem vocavit Esaiam, & dixit, ut annunciaret mortem Ezechiæ, sic itaque inquit ad Regem: hæc dicit Dominus, dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives, quæ quidem verba communissima.

nissima sunt, & conveniunt non tantum ægroto, sed etiam homini sano. Flevit autem Ezechias &c. ut in textu, & Deus adjecit quindecim annos; dico, quod Deus poterat non curare de Ezechiâ, sed permittere, ut causæ secundæ agerent secundum ordinem suum: vocavit ergo Dominus Esaiam, quia cognoscens Regem esse hominem justum, ideo hac sententia mortis uti voluit, ut magis excitaret ipsum ad pœnitentiam, & contritionem erratorum, quæ ut homo committere poterat: hinc Ezechias fortiter flens, memento, inquit, quoniam ambulaverim coram te in veritate &c. & Deus pietate motus, largitus est quindecim annos: hi autem anni quindecim erant anni, qui deficiebant ad decretum immutabile & æternum Dei, quod præscientia sua ante mundi constitutionem se facturum esse sciebat & in se ipso servabat: hinc August. de Genesi ad litteram lib. 6. cap. 17. inquit, quod multa secundum causas inferiores futura sunt (sicut ibi sunt) sed si ita sunt, & in præscientia Dei verè futura sunt, si autem ibi aliter sunt, ita potius futura sunt, sicuti ibi sunt, ubi, qui præscit, falli non potest. Unde concludimus, quod illa additio quindecim annorum fuit mutatio sententiæ, non verò decreti: nam si mortuus esset Ezechias, mors fuisset in tempore non suo, nam deficiebant anni quindecim ad immutabile decretum, non ergo pro vita satis fuére anni quindecim, sed pro ejus salute adhibuit Esaias Massam de ficis, ut fieret cataplasma super vulnus, & sanaretur; Amplius addit signum, dum reverti facit umbram linearum, per quas descenderat, in Horologio Achaz in Sole retrorsum decem lineis, hoc est, gradibus; decem enim gradus in Zodiaco & signis longarum Ascensionum, obliquè tamen descendentibus, possunt facilè respondere quindecim gradibus in Æquatore, quorum quidem unus annum unum in Directionibus significare, est omnium Astronomorum consensus, & sic anni quindecim & signum Prophetæ cum mensura Directionum optimè quadrant.

Objiciunt tertiò Esaiam non verò prophetasse, quia ex morte, Deo permittente, Regi annunciatâ, non tantum salus subsecuta est, sed vita prorogata.

Respondemus Esaiam verè prophetasse & retulisse Regi, quæ dixerat Deus: ergo etiam Deus de mendacio esset arguendus; sed Prophetia non est præscientiæ aut prædestinationis, sed comminationis, non verò absolutæ, sed conditionalis, & si etiam absolutè proponatur, conditionaliter est intelligenda. Hoc posito solvitur locus Jonæ de Comminatione ad Ninivem, nam pœnitentiam egerunt, & Deus misertus est eis; & illud Ezechielis cap. 18 anima, quæ peccaverit, ipsa morietur, intelligitur hoc modo: peccatum infert mortem animæ, non quia anima moriatur, sed quia ex peccato sequitur amissio gratiæ Dei, ex amissione gratiæ Dei damnatio, quæ est animæ mors æterna: ad illud verò, si Justus fecerit justitiam & judicium, vitâ vivet, per ly vitam intelligitur, quod post vitam naturalem vivet æternâ.

Sed instant, si Prophetia esset comminationis & conditionalis, casus Balthasaris Regis ex Daniele cap. 5. evenisset ut Ezechiæ, Viris Ninivitis, & aliis: ergo falsum est propheriam esse comminationis tantùm.

Respondemus, casum Balthasaris Regis non fuisse prophetiam, sed sententiam; nam Rex temulentus bibens in vasis Templi Hierusalem cum optimatibus & concubinis, laudabat deos aureos & argenteos, cum contemptu Dei æterni, & in horâ peccati promulgata est sententia à Deo, nam apparuerunt digiti in pariete scribentes: & cum characteres à Sapientibus Chaldæis legi non potuissent, jubente Reginâ vocatus est Daniel, qui omnia interpretatus est; unde hæc non fuit prophetia, sed explicatio sententiæ contra ipsum promulgatæ, quæ à Deo immutari potuisset, si statim pœnitentiam egisset, ut fecit ejus pater Nabuchodonosor.

Objiciunt quartò. Dei decretum, quod existimatur infallibile & ipsi soli cognitum, videtur ad quædam tempora assignatum,

tum & omnibus notum: hoc patet ex Genesi cap.6. dicit Deus, non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro est, eruntque dies illius centum viginti annorum: amplius ex David psal. 89 dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta annis: ergo hoc decretum non tantum est omnibus cognitum, sed etiam fallibile.

Respondemus primò, quod Dei decretum est immutabile & infallibile, sententia verò mutabilis & fallibilis quoad suum beneplacitum: unde de decreto vel sententiâ aliquid sciri nequit, nisi per revelationem, & hoc est supra naturam. Secundò, nescio, quis audivit Deum præscribentem vitam hominibus annis centum & viginti, nam videmus non tantum post diluvium, sed ad nostra tempora in quibusdam Regionibus homines pervenisse ad ducentesimum, plus, minusve? nec est dicendum, quod anni illorum temporum differunt à nostris, nam assignetur, qualis differentia assignari possit, patebit quidem veritati non correspondere, sic illud David: nam inveniuntur centenarii homines, & non tantum septuagenarii: si autem (ut dicunt) quod Moyses confecit Genesim, unde ut Propheta & Dei intimus amicus conscius factus, quot esset vitam ducturus, eundē terminum præscripsisset hominibus, patet enim ex cap.31. Deuteron. ipso loquente: Centum & viginti annorum sum hodie, non possum ultra ingredi & egredi, unde hoc tempore mortuus est Moyses. Quidam volentes explicare hunc locum, dicunt, Deum non locutum esse de omnis ævi omnibus hominibus, sed tantum de illis, qui sæculo ante diluvium corrupto vixerunt, & hunc præfinisse ut pœnitentiæ terminum; sed pace horum omnium Exponentium, dico hoc non posse recipi, quia fuisset æqualis omnium vita: nam aliqui possunt esse orti ante hanc sententiam, alii tempore sententiæ, alii post sententiam, unde omnes essent victuri centum & viginti annos, quod ridiculum est.

Quod

Quod autem illud David non sit verum, patet expressè, quia homines excedunt (ut plurimum) septuagesimum annum, res autem vera est (juxta me) quod loquitur de se ipso, dicit enim: dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta annis, & anno septuagesimo mortuus est, sciebat enim ut Propheta, quot esset victurus, sicut & Moyses; illud verò, quod addit: si autem in potentatibus octoginta, & amplius eorum labor & dolor; hoc intelligitur conditionaliter de senibus dominantibus, qui quò magis senescunt & ad decrepitam perveniunt ætatem, vires animi & corporis amittunt, acumen intellectûs obtenebratur, unde tunc fit eorum labor & dolor.

Objiciunt quintò. Est locus in Ecclesiaste cap. 7. versu 16. Hoc vidi in die vanitatis meæ, Justus perit in justitia sua, & impius multo vivit tempore in malitia sua; versu verò 18. ne impiè agas multum, & noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo; amplius ex David psalm. 54. Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos: quomodo hæc inter se conveniunt.

Respondemus perire Justum in justitia sua, esse singulare Dei beneficium, sic enim tollitur peccandi libertas, qua forsitan fuisset abusus, si diutius vixisset; diuturna enim vita non semper meliorem efficit hominem: hinc Sacra Scriptura de Justo sic habet; raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, & ne fictio deciperet animam ejus: Justis enim accidunt calamitates multæ, sine causa occiduntur, carceribus includuntur, veneno pereunt, & alia hujusmodi. Impius autem longo aliquando vivit tempore in sua malitia, quia quando peccat homo, non statim Deus immittit vindictam, sed ad præfinitum tempus emendationem expectat, quod multoties fit precibus Justorum pro ipso, ut emendetur; inquit enim Dominus: nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat. Illud verò David, non dimidiabunt dies suos, id est,

id eſt, peribunt antequam ſperent, illi enim in ſua malitia confidunt; hoc autem Pſalmiſtæ eſt veluti quædam comminatio, ut emendentur, imò poteſt recipi ut quædam expoſitio de Sententia Divinæ Legis: nam mali, ut res multis eſt comprobata exemplis, juſtè puniuntur, vel laqueo, enecantur, vel capite mulctantur, vel inopinatè moriuntur, & ſic non perveniunt ad dies, ad quos ratione naturæ propriæ pervenire potuiſſent: unde hic locum habet illud Patris Didaci de Montoya Jeſuitæ, de Prædeſtin. diſputat. 24. ſect.6. Singulare beneficium prædeſtinationis, quod Deus mortem maturo inferat tempore, contra verò judicium eſſe juſtiſſimæ reprobationis, quod mortem Deus maturo differat, vel afferat immaturo; hinc non ſine cauſa monet Eccleſiaſtes; Ne impiè agas multum, & noli eſſe ſtultus, ne moriáris in tempore non tuo, quod idem eſt, ac dicere, quod morieris ſicut impius, qui non pervenit ad verum tempus à Deo definitum, ſed ante ipſum miſerè perit, ſicut habet in Proverbiis cap.10.v.27. Timor Domini apponit dies, & anni impiorum breviabuntur, & illud Ciceronis in Tuſc. unus dies Sapientis præferendus eſt æternitati ſtultorum.

Objiciunt ultimò, nullum eſſe tempus à Deo præfinitum ex loco Deuteronomii cap.3. Honora patrem & matrem, ut longo vivas tempore; & ex David Pſalm. 20. Vitam petiit à te, & tribuiſti ei longitudinem dierum in ſæculum, & in ſæculum ſæculi: ergo falſus eſt locus Job.

Reſpondemus, quod imò ex hoc deducitur tempus eſſe à Deo præfinitum, nam honorantibus parentes Deus vitam longam promittit, non honorantibus brevem; ſicuti patet ex Pſalm.90. Longitudine dierum replebo eum, & oſtendam illi ſalutare meum: ex Malachia enim cap.3. habetur. Ego Dominus, & non mutor: nec non ex Eſaia cap.46. Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet; unde tempus à Deo juxta decretum præfinitum eſt, tam obſervantibus illud, quam

non, sed diverso modo: ad illud verò David, dicimus, quod Propheta loquitur per excessum, & de promissione longitudinis vitæ, cujus finis est in decreto immutabili, sed loquitur non tantum de vitâ naturali, quæ finem est habitura, sed de æterna, quæ in seculum seculi est duratura, & sic nullo modo locus Job falsus est, sed accipiendus juxta explicationes nostras supradictas.

His locis explicatis triplicem ponimus Conclusionem.

Prima, quod Deus ab æterno decrevit victurum esse Petrum E.G. nonaginta annos, & illum terminum à Deo positum non posse transcendere, & hoc est de decreto immutabili, quod nulli præter Deum, notum est; posse tamen Petrum ante illum terminum mori ratione causarum secundarum & naturalium.

Secunda, quod superatis Annis Climatericis in bonis tam Directionibus, quam Revolutionibus, in Annis non Fatalibus homines mori non possunt, quod naturaliter est intelligendum; sed possint obire in Annis non Fatalibus malâ existente vel Directione, vel Revolutione.

Tertia, quod homines in Annis non Fatalibus, bonis Directionibus & Revolutionibus existentibus mori possint; intelligendo hoc modo, dum nimium proprio genio indulgent, nimiæ Veneri, potui, cibo, vel ægrotando à Medicis non bene curati, vel non convenientibus propinatis medicamentis, vel non cognita ægritudine, vel committendo aliquod erratum alicujus momenti in ipsa ægritudine Medico nesciente, vel cum consensu adstantium, vel dum nimio sumpto vini Cretici potu ex improviso suffocantur, vel ebrii in aquis semet ipsos submergunt, & similibus. Unum afferam exemplum multa comprehendens.

Sint decem homines simul, qui in aliquo cubiculo comedunt, ex improviso, dum sunt ferè in fine prandii, ruit domus,

ex his

ex his decem E.G. moriuntur octo, duo fracto aliquo membro, vel non fracto sub tabula absconduntur & vivunt: dico, quod illi octo, qui perierunt, mortui sunt extra tempus à Deo præfinitum, vel secundum causas naturales & secundas, sed mortui sunt ex Fato illius ruinæ: sic accidit in naufragiis, ubi aliquando aliqui natando à morte sublevantur, in pugnis exercituum, ubi fugiendo vitam servant: vel pereunt aliquando omnes, sic in diluviis, excidiis & aliis, in quibus casibus Causa Universalis particularem evincit. Et hoc modo solutum est argumentum, quod contra Astrologos quidam pauperes consilio proponunt, nescientes, quod singulare aliquod Exemplum non evertit regulam vel legem: quid ex his?

Pange toros, pete vina, rosas cape, tingere nardo:
ipse jubet, mortis te meminisse, Deus.



TRIAS.

IMMORTALIS.

S A D A I. *FUNDAMENTUM.*

DIAPHANUM.

S E C H E L.

ARCHANGELI.

M E R C U R I U S.

S P H Æ R A S E C U N D A.

FATUM IN DIEBUS.

FATUM in diebus esse testatur ipse Job cap. 3. maledicens diei suæ & nocti, qua conceptus est homo, & non sine ratione: nam à die, quo nascitur homo, Fati vires incipiunt agere in ipsum: experti sunt Fatum in diebus Ægyptii, quos postea secuti sunt Romani, & sic dies faustos ab infaustis cognoverunt ex facinorum successu. Apostolus tamen condemnat observatores tum dierum, tum annorum; & in decreto Gratiani dierum Ægyptiorum observatores damnantur, cui Pontifices nostri assentiuntur & decretum confirmant; sed hoc intelligitur de superstitiosè observantibus: sed quis negare potest, dies experiri faustos & infaustos in rebus propriis agendis? multi quidem hoc affirmabunt, nam quæ successus probat, quis fatuus inficiabitur? sic aliquis diem Martis habet infaustum, Jovis prosperum, & sic de aliis: dicunt enim, quod Familia Mendozinorum in Hispania habet Privilegium ab Inquisitione, cavendi ab omni opere in die Martis, quia eos experientia docuit successus semper habuisse infelices: sed quid ultra quærimus, si Deus dierum alios benedixit, alios maledixit, quod in Ecclesiastico legitur: sed quæso his relictis ad explicandum dierum Fatum, de quibus agere animus fuit, descendamus.

Homines Fata, quæ medio Annorum Climatericorum experiuntur corpore existente sano, eadem quando ægroto medio dierum, qui à Medicis Critici dicuntur, qui judiciarii sonant: nam ex illis vel mors, vel salus tanquam à signis dependet; hæc observatio non semper veritati correspondet, & hoc dependet ex varietate morborum: dantur enim morbi acuti, peracuti, perperacuti, breves, longi, ut febres intermittentes, exquisitæ, spuriæ, duplices, continuæ, cum simptomatibus, & sine &c. Acutorum autem multiplex est divisio: acuti enim, qui terminantur in primis quatuor diebus, vocantur perperacuti. Peracuti sunt, qui terminantur in prima septimana. Acuti exactè deveniunt ad quartum decimum. Acuti non exactè

usque

usque ad vigesimum. Acuti ex decidentia ad quadragesimum, dum verò transeunt hunc terminum, Chronici, & temporanei vocantur. De aliis febribus nulla est regula, sed in eis est observatio humorum, tum quantitate, tum qualitate peccantium, ex quibus oriuntur indicantia, quæ monstrant iter ad curam.

Dato ergo aliquo ægroto, quæritur, an de ipso fieri possit judicium ex figura decubitûs, vel sexdecangula, qua uti solent; vel ignotâ ægritudinis horâ, an dies illi, qui à Medicis Critici vocantur, sæpè illos decipiant, si veritatem fateri volunt, quod non sic facilè ab eis assequi potest.

Primò rarò vera habetur ægritudinis hora, nisi sit morbus aliquis repentinus, ut apoplexia, vomitus sanguinis, delirium, vulnera, & his similia: ex pulsuum enim inæqualitate dicunt Medici febrem adesse, non distinguentes alterationem à febri; febrilis enim calor consistit in accensione cordis, Galenicè loquendo, quod Chymici non admittunt, deinde diffunditur vel ad partes nobiliores, vel per totum corporis ambitum; hinc duplex existit principium hujus caloris, unum enim est principium accensionis, aliud principium febris: primum non est principium febris, quia in illo principio non est adhuc calor in corde accensus, accenditur enim calor tum in fonte putredinis, qui quidem fons multiplex est, sicuti variæ sunt partes, in quibus residere potest, alius enim est in corde, & per hujus accensionem constituitur febris, ideo nulla est febris, nisi cor constituatur in calefacto esse, & à calore putredinis coinquinetur, cum autem hæc putredo multiplex sit, variæ ex ipsâ emanant febrium differentiæ; ex his ergo deducitur, quod si Cor solùm incalescat, & non coinquinetur, vel vinctus reddatur secundum aliquam sui partem, vel ponatur in calefacto esse, nullo modo fit febris, sed illa, quæ tunc accidit (aliis observatis)

vatis) est Alteratio, quæ post paucas horas evanescit, nec amplius redit, nisi aliquis committatur error, ut ipsa alteratio tandem in febrem convertatur.

Nunc dico, quod si tunc (data alteratione) constituatur figura Decubitus, nullum sequitur judicium: difficilis, crede mihi, est figura decubitûs, quia hora invasionis morbi, ut plurimum ignoratur: ridicula autem est illa erectio figuræ, quæ fit per petitionem, vel ex visa urina, vel similibus, quæ hominibus crassæ Minervæ proponuntur credenda: si autem vera daretur hora, posset erigi figura decubitûs, & observari in illa tum loca Luminarium, quæ primùm veniunt consideranda, tum locus domini Ascendentis & sextæ, & videre, an in sexta & octava sint malefici, & sic posset cognosci qualis sit morbus futurus, & qualis exitus.

Ubi verò Decubitus erigi non potest, recurrunt omnes ad dies Criticos, quomodo verò hi dies desumantur, nunc rem enucleabo.

Duplex est Annus Tropicus; unus, qui à Sole Zodiacum illustrante persolvitur, redeunte ad punctum Æquinoctii vel Solstitii, & hoc in diebus 365. Horis 5. Min. 48. Sec. 55. Sydereus alter, quando aliquod Astrum completo circulo Sol regreditur, & hic est dierum 365. Hor 6. Min. 9. Sec. 13. absolvitur autem Annus duodecim mensibus, qui sunt tempora periodi, & unoquoque mense signum unum Zodiaci illustrat, quod autem à Sole in anno uno perficitur, à Luna fit in uno mense, & sicuti duplex est Solis Annus, ita binus mensis Lunæ.

Primus ergo mensis vocatur Periodicus; & Luna Zodiaci signa duodecim conflat in diebus. 27. Hor. 7. Min. 43. alius est Conjunctionis, qui Synodicus vocatur, & est, quando Luna Soli jungitur, & redit ad coitum cum illo, & fit diebus 29. Hor. 12. Min. 44. hi duo menses sunt reales: addunt quidam tertium, & vocant mensem manifestæ visionis, quem dicunt esse dierum 26. cum Horis 12. quæ quidem opinio falsa est, nam Luna modò tardè,

tardè, modò citò nobis apparet. Citò, quando eſt Perigeo Eccentrici in ſignis brevium Aſcenſionum cum Latitudine Septentrionali, reſpectu Eclipticæ: tardè verò, quando eſt in ſumma Abſide, in ſignis longarum Aſcenſionum cum Latitudine Meridionali. Ex hoc tertio & periodico componit Galenus 3. de diebus decretoriis 9. Menſem Medicinalem, qui Chymericus eſt, & res quidem riſu digna, nam dividit ipſum in duas partes, & unaquæque ex his conſtat ex diebus 13. Hor. 11. & poſtea ſubdividit hanc partem in duas ſeptimanas, & quælibet conſtat ex ſex diebus, Horis 17. Min. 30. hinc fit, quod unusquisque dies ſit Hor. 23 Min. 4 defenſores autem ejus dicunt, quod hæc ſunt falsò adſcripta Galeno.

Hippocrates. 2. Aphor. Sect. Aphor. 24. ſic dies Criticos deſcribit. Septenorum quartus eſt index; alterius ſeptimanæ octavus principium: eſt autem & undecimus contemplabilis, ipſe enim quartus eſt alterius ſeptimanæ; rurſus verò & decimus ſeptimus contemplabilis; ipſe ſiquidem quartus eſt à quartodecimo, ſeptimus verò ab undecimo, hæc ille.

Hi autem dies unde recipiant virtutem, lis ſub judice eſt. Galenus loco ſupra citato, Maginus, Niphus & alii, qui de Criticis diebus ſcripſerunt, credunt provenire à Lunæ aſpectibus: nam dicunt, quartum eſſe ſeptimi indicem ob aſpectum ſextilem, ſed hoc experientia eſt falſum: obſervatur enim, quod Luna exiſtente in ima Abſide Epicicli ſextilis fit ante quartum, quando eſt in ſumma fit in quinto, ergo quartus propter hunc ſextilem non poteſt eſſe index ſeptimi, ſic quadratus non ſemper fit in ſeptimo, nec trigonus in undecimo, nec oppoſitum in decimo quarto, ſicut multoties obſervavi: hæc ſunt vera quo ad Aſtronomiam; amplius, ſi Hippocrates & Galenus obſervant motiones malas fieri in 6.8.10.12.16.18. peto à qua cauſa tunc dependent, ſi Luna in his diebus nullum poteſt conficere aſpectum? quare dicunt ſextum eſſe Tyrannum, cum in ſexto quadratum Lunæ non fit ad hoc, ut dies malus evadat: nonne tot

vidimus benè se habuisse in quarta, & in quinta extinctos esse: malè in quarta, in septima benè se habuisse? in septima bene se habuisse, & in undecima, vel decima quarta obiisse, vel morbum in deterius prolapsum esse? à quibus causis hæc procedunt? forsan ab aspectibus Lunæ.

Sanctorius dicit causas dierum Criticorum provenire à majori vel minori virtute agentium particularium, & à majori vel minori dispositione patientium. Hæc opinio salvari potest, cum dentur innumerabilia discrimina tam agentium, quam patientium: multi enim corporis laboribus assueti, quamquam gravi morbo corripiantur, citius sanantur, & majori cum securitate, quod non fit in corpore debili & delicatæ naturæ, in quo ultra morbi longitudinem imminebit etiam vitæ periculum: res experientia multoties comprobata: quidquid sit, nondum est inventa vera causa, unde tales dies virtutem accipiant: sicuti nondum cognita est, qualis sit immediata causa periodicationis morborum: nam quotidie accenditur pituita, & fit quotidiana: de tertio in tertium bilis, & fit tertiana; de quarto in quartum melancholia, & fit quartana: & quod mirum est, eâdem horâ (ut plurimum) venit accessio correspondens diebus præteritis. Forsitan dicent fieri ex motibus Lunæ? ridicula hæc sunt; cum periodicationes fiant ex dispositione membrorum, si tamen verum est quotidianam fieri in ventriculo, tertianam in hepate, quartanam in liene, ideo ex hac distantia à corde fieri periodos, sed hoc nunquam admittent Chymici.

Ignor ergo verâ causâ dierum Criticorum, relinquitur vana Galeni positio ab Hippocrate desumpta: nec est dicendum fieri à qualitatibus occultis, quia ipse Galenus 3. de præsag. ex pulf. cap. 5. contra Erasistratum habet hanc sententiam: qui nihil sciunt, ad hæc duo confugiunt: vel ad nomina ignota, vel ad qualitates occultas. A quo ergo fiunt? ex sola observatione, ignorata causa? nihil est; nam vel nullus dies est Criticus, vel omnis dies est Criticus: nam hic dies Criticus, qui Judiciarius

vocatur,

vocatur, nihil aliud eſt, quam dum gravia ſymptomata fiunt cum aliqua notabili mutatione ad bonum vel malum, cum autem hæc mutatio fieri poſſit quolibet die, relinquitur, nullum eſſe expectandum diem Criticum, ut differatur medendi occaſio, vel ut ex ipſo judicari poſſit exitus morbi: quod autem hoc verum ſit, hæ ſunt obſervationes ab Hippocrate & Galeno deſumptæ, ex quibus patebit, quod quilibet dies Criticus eſt.

Galenus 5. Aph. 1. citat caſum Juvenis liberati, per vomitum bilis æruginoſæ, à morbo lethali die primo. Hipp. 2. Epidem. refert caſum propriæ ſororis hepatis inflammatione laborantis, & moritur die ſecundo. Gal. ex 3. Epidem. 3. Crito & Phreneticus judicantur in tertio, & moriuntur. Lariſſa Calvus in quarto, & Pericles ſalvatur. Eraſinus obiit in quinto, & liberatur Metones. Philiſcus moritur in ſexto, liberatur virgo Lariſſæ. Adoleſcens decumbens in foro mendacii moritur, & judicatur in ſeptimo, & ſic de ſingulis, ex quibus manifeſtè patet, omnem diem per ſe Criticum eſſe.

Si autem Aſtrologica reſpicimus, ſi præcisè poſſet haberi hora ægritudinis, apparebunt dies Critici veri, multum diverſi ab illis, qui à Medicis obſervantur, rem ego non ſemel expertus; nam tum Planetæ, tum ſigna Zodiaci habent ſub ſe quasdam hominis partes, quibus dominantur, unde morbos in illos introducunt, & ex ſimplici decubitûs conſtitutione (etiam ignoratâ Nativitate) poteſt ſciri, qualis ſit ille morbus futurus, à quo Planeta proveniat, & qualem exitum ſit ſortiturus, qualisve ſit cura facienda; his ergo obſervatis, ex ipſa figura decubitûs omnia intueri poſſumus & reperire in ipſa diem, in quo ægrotus benè vel malè habebit, quibus ignoratis, ſola Nativitatis figura ſufficit; neceſſaria etiam eſt Revolutio annua, nam ex utrâque poteſt innoteſcere tum morbus ipſe, tum exitus.

Excludimus hoc loco Astrologicas observationes, quæ undique annotantur ab illis, qui Calendaria describunt, in quibus admonent Medicos, ne tali die sanguinem mittant, vel medicamentum præbeant, & reperiuntur Medici insignes, qui talia non tantum observant, sed ferunt secum hunc libellum, imò ipsi ægroti alicujus conditionis (quod ridiculum est) dum Medici jubent, ut mane sequenti fiat sanguinis missio, vel accipiant pharmacum, dicunt, hoc non est faciendum, quia talis Astrologus prohibet, & sic his observatis aliquando augetur morbus, & ægroti pereunt, cum morbi ut plurimum non dent inducias, sed indigeant, ut quamprimum convenientia remedia adhibeantur: de his mecum ridet Vir Eruditissimus Joannes Dominicus Marcesius Vicentinus, in omni scientia & doctrina præclarus, & non tantum miratur de his, qui temerarii nomine insigniri debent, sed de illis Medicis, qui adhibent fidem scriptis & nugis illorum.

Afferam Exemplum Venetiis notum: dum anno 1654. die 12. Augusti celebraretur insigne Solis deliquium, omnes Calendariisti elevabant clamorem ad Cœlum, ut Medici neque sanguinis missionem, neque medicamentum ægrotis suis proponerent per unum diem ante deliquium, per diem deliquii, & post, ita ut in his tribus diebus sola victûs ratione uti deberent: pervenerunt hæ voces undique libris suis inspersæ ad aures quorundam Procuratorum Xenodochii, quod vocant Incurabilium, & vocantes Medicum dixerunt, ut caveret maximè in die deliquii à pharmaci exhibitione & sanguinis missione, ne miserrimè perirent ægroti. Joannes Maria Tosius, Vir præclarus, Medicinæ & Chyrurgiæ Professor, dixit se benè omnia intellexisse, & gratias multas Illustrissimis suis Dominationibus benignissimè reddidit: die ergo deliquii aliquibus dedit pharmaca, aliis sanguinis missionem feliciter administravit, & nullus ex illis periit, & hoc exemplo tradidit modum admonendi Medicos Calendariistis & Astrologastris.

Addi

Addo ego, quod ubi vel Genitura habetur, vel Decubitus figura erigitur, præter aspectus, qui à Luna cum Planetis fiunt, esse observanda etiam alia, ut superiorum conjunctiones, vel eorum radii hostiles in quo loco figuræ fiant, sic Eclipses si fiant in Ascendente in gradu Caudæ Draconis, vel in septima, aut octava, aut Radicis, Revolutionis, vel Decubitus, nam mortem minantur: idem observatur de Cometa, in quo loco figuræ appareat, sic transitus Planetarum super loca figuræ sunt annotandi, &c, quod maximum est, si eo tempore accidat aliqua mala directio, cum Profectione ad loca figuræ infausta, quæ omnia à perito Medico Astronomo annotari debent: hoc aut in Magnatibus, ut plurimum observari solet, ut verificetur illud,

Quod decet Heroes sua Fata timere Monarchas.

DECAS.

TRIUNUS.

ADONAI MELECH *REGNUM.*

OBJECTUM.

SECHEL.

ANGELI.

LUNA.

SPHÆRA PRIMA.

FATUM IN REGNIS

MUNDANARUM rerum Metamorphoses, ex continuis ad inferiora varietatum descensibus Sapientum mentes in admirationem trahebant; nisi veritas latitans in tenebris, solùm per umbras nota, extra umbras nata, cum sit temporis filia, admirationem amoveret; signa tamen ex observationibus collecta sufficientia non videbantur, quia accidentia præter naturam & expectationem effectus penitus diversa oriebantur; hinc ter maximus Hermes posteris mandavit, de cunctis, quæ super terram sunt, nullam veritatem esse, sed quædam veritatis imitamenta, & non omnia, sed pauca: omnia verò fieri *Natura* & *Fato*, & non esse locum à Providentia desertum, cum illa sit per se ratio perfecta & supercœlestis Dei, ab ea autem duæ oriuntur potentiæ, Necessitas & Fatum, hoc autem est Ministrum Providentiæ & Necessitatis, Fati verò Ministræ & ejus arma sunt Stellæ, ipsum autem est causa dispositionis Astrorum, & hæc est lex inevitabilis, secundum quam cuncta sunt ordinata.

Cœlum Dei Pantocratoron magnum opus est, innumeris cælatum figuris, variis virtutibus ornatum, de quo David Psalm. 18. cecinit: Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum: ex ejus diversis motibus ortum traxit Astronomia, ex variis verò observatis influxibus mirabilia in mundo producentibus Astrologia, quæ quidem nobilissima scientia tandem fuit Chaldæorum, Arabum, Græcorum aliorumque superstitionibus innumeris conspurcata. Conjectura autem utitur à Numine Job increpante edocta cap. 38. nunquid nosti ordinem Cœli, & pones rationem ejus in terra? nunquid post ortum tuum præcepisti diluculo, & ostendisti Auroræ locum suum? ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ? indica mihi si habes intelligentiam; hinc non sine causa exclamat Apostolus ad Romanos Epistola 1. cap. 11. O profundum divitiarum Sapientiæ & scientiæ Dei! quam inscrutabilia sunt judicia ejus, quis enim cognovit mentem Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? sed nullus nisi fatuus inficiari potest scientiam hanc

hanc à Deo originem habuisse, qui docuit parentem protoplastum, sic Enoch, qui genuit Mathusalem ab Angelis multa edidicit, cæterosq; docuit, sic teste Juda Thadæo in Epistola canonica de futuro judicio, tam aquarum diluvii, quam ultimæ conflagrationis Vaticinium, Authore Josepho in primo Antiquitatum libro duabus columnis inscripsit: Sem verò à patre Noë hanc edidicit, qui primus secundum Thalmudistas omnium doctrinarum scholam aperuit. Abraham autem, qui divino præcepto in Phœnicem venit, eos docuit, & Regi gratissimus fuit, postea in Ægyptũ proficiscens, habitavit Heliopoli cum Sacerdotibus, & Astrologiam docuit, qui tamen illam se non invenisse, sed ab Enoch per successionem sibi traditam fatebatur; modò procul hinc abscedat vanitatis filia Græcorum ambitio, qui suis Heroibus Cœli imagines aptaverunt, constat enim ex Chaldæorum monumentis, ante Argonautas in Cœlo Navim signatam fuisse, aliasque stellas, quas Prophetæ memorant, qui multis temporibus Græcos præcesserunt; nomina enim stellarum à Deo fuisse imposita quis ambigit? psalm. 146. David fatetur: Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat: sic legimus cap. 38. Deo ad Job loquente: nunquid conjungere valebis micantes stellas Pleiades, aut gyrum Arcturi poteris dissipare? nunquid producis Luciferum in tempore suo, aut Vesperum super fines terræ consurgere facis? & cap. 9. Job loquente de Magnalibus Dei, ita inquit. Qui præcipit Soli, & non oritur, & stellas claudit quasi sub signaculo, qui extendit Cœlos solus, & graditur super fluctus maris, qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas, & interiora Austri.

Ter maximus verò Hermes, qui Moysi coætaneus fuit, sed paulò senior, in hac scientia peritissimus fuit, capite enim de stellis scribit. Omnium, quæ universaliter accidunt, energia à stellis est, Regum eversiones, urbium insurrectiones, pestis, fames, inundatio maris, terræmotus: sicq; in Asclepio Ægypti prædixit ruinam: sed quid ultra quærimus? libro enim Judicum cap. 5. hæc

adnotantur, de Cœlo dimicatum est contra eos, stellæ manentes in ordine, & cursu suo contra Sysaram pugnaverunt.

Cœlorum ergo motus, Astrorumque influxus, quis audax fatuus negat? hi quidem teste Hermete, omnes boni sunt & benefici, suscipientes tantummodo ipsum bonum, & hoc agentes intuitu æterno immutabiles sunt, quamvis in ipsa alterabili naturâ operantes degenerent, perpetuo tamen ordine semper benefici sunt; hi enim, dum vim continuam Saturni & Martis extendunt, frequenter per accidens obsunt; illa, quando in materiâ frigidiori suscipitur, hæc autem, quando in ferventiori, quod omnino fit pro dispositione materiæ: Sol enim, quamvis calore & luce nonnullos offendere videatur, necessarius tamen est ad vitam, quamvis vel subjecti perversitas perversè suscipiat, vel debilitas facilè tolerare non possit efficaciam superiorum.

His solidissimis jactis fundamentis, de syderum influxibus in inferiora agemus, veritatem, si quæ est, demonstrando, sed veniam mihi dent omnes, nam dum de eâ agitur, nemini parco.

Prima causa mutationis rerum inferiorum vocatur ab Astrologis Orbis Magnus, qui nihil aliud est, quam quædam annorum congeries, quâ Planetæ omnes eâdem annorum mensurâ, sumpto ordine à Saturno, à mundi exordio usque ad interitum gubernant. Abraham *Aben Esra* Judæus (quem sequuntur Petrus de Abano, Tritemius, & pauci alii) asserit, quod post Deum, Intelligentiæ Mundi machinam regunt, & quod unaquæque tempus determinatum habet sui regiminis, nempe annos 354. & menses quatuor, sumpto ordine ex menstruo Lunæ motu, & influunt & operantur in hæc mundi inferiora toto hoc annorum spatio secundum proprietates naturæ Astrorum suorum: exordium verò sumunt à Saturni Angelo Orifiele, deinde sequitur Anaël Veneris, tertius Zachariel Jovis, quartus Raphaël Mercurii, quintus Samaël Martis, sextus Gabriël Lunæ, septimus Michaël Solis; sic dicũt, quod Samaël inserviebat tempore Diluvii, & Luna in confusione linguarum, Michaël verò, quando fuerunt

com-

completi anni 4708. incœpit ducere, ficut ſcriptũ eſt, tempore Iſraël: Illo tempore ſtabit Michaël noſter Princeps in Damele.

Non inficior ego Intelligentias regere Cœlum viciſſitudine quâdam annorum, dierum & horarum, cum præſint etiam Planetis, quorum motus varios obſervamus; ſed quis amabo docuit hunc regiminis ordinem contra ordinem Planetarum, & hos annos 354. cum menſibus quatuor? res quidem ridicula omni fundamento deſtituta, & miror Tritemium, alioquin virum doctiſſimum, has nugas eſſe ſecutum; quomodo ergo harum Intelligentiarum nomina, educantur, & unde, Cabbaliſtarum abſcondita hominibus craſſæ Minervæ, nunc explicabo.

Leges, quæ perpetuò manent, membra ſunt indiſpenſabilia decem præcepta Decalogi, ſic carnalis hominis artus, ipſum in perpetuo & peculiari ſibi eſſe conſtituentes, decem enumerantur, nempe ſpiritus, cerebrum, cor, pulmo, hæpar, fel, ſplen, renes, genitalia, matrix, cum cæteris illis annexis; ſic magni corporei hominis præcipua decem ſunt membra. Cœlum intellectuale, Primum Mobile, Saturnus, Jupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna, cum reliquis, quæ ejus globus circumdat: Archetypi verò hominis artus decẽ ſunt Angelorum Chori, nempe Haioth, Hecadoſch, Ophanim, Aralim, Haſmalim, Malachim, Seraphim, Elohim, bene Elohim, Cherubim & Iſſim. Theologi verò noſtri alio nomine vocant, nempè Seraphim, Cherubim, Throni, Dominationes, Virtutes, Poteſtates, Principatus, Archangeli, Angeli, decimus verò eſt ordo Animaſticus. Cuncta ergo hæc ordine denario diſpoſita, in decem omnium Dei Nomina vergunt, quæ Hebræorum Mecubales hyperbolicè decem Sphiros, id eſt Numerationes vocant, & hæ ſunt veluti inſtrumenta, quarum medio ordine quodam per ſingula ſuperiora, uſque ad infima influunt in omnia creata.

Primũ Nomen eſt Eheie, Numeratio ejus Cether, interpretatur Diadema ſupremũ, & attribuitur Deo Patri, influit per ordinẽ Seraphim, deinde per primũ Mobile omnibus eſſendi munus largitur, cujus Intelligentia eſt Mettatron, quæ fuit Præfectus Moſe.

Secundum est Jod, Numeratio ejus Hochma, ideft sapientia, attribuitur Filio, influit per ordinem Cherubim, & per hos Chaos distinguit, deinde in Cœlum stellatum, cujus Intelligentia Raziel Præfectus Adam. Tertium Tetragrammaton prolatum Elohim, Numeratio ejus dicitur Bina, nempe Providentia, seu Intelligentia, attribuitur Paraclito, influit per ordinem Thronorum, & fluxæ materiæ formam ministrat per Sphæram Saturni, cujus Intelligentia particularis Japhkiel, Præfectus Noë. Quartum El, Numeratio Hæsed, hoc est Clementia, influit per ordinem Dominationum, & corporum effingit effigies per Sphæram Jovis, Intelligentia ejus Zadhiel, Præfectus Abrahæ. Quintum Elohim Gibor, Numeratio Geburah, hoc est potentia, influit per ordinem Potestatum, deinde per Sphæram Martis elementa depromit, Intelligentia Camaël, Præfatus Samsonis. Sextum Eloha Vadahar, Numeratio Tiphereth, hoc est gloria, voluptas, influit per ordinem Virtutum in Sphæram Solis, cujus Intelligentia particularis est Rachaël, Præfectus Isaac & Tobiæ. Septimum Adonai Sabaoth, Numeratio Nezah, hoc est, victoria, triumphus, influit per ordinem Principatuum, vegetabilia producens in Sphæram Veneris, Intelligentia Hanaël, Præfectus Judith. Octavum Elohim Sabaoth, Numeratio Hod, quod interpretatur laus & confessio, influit per ordinem Archangelorum, deinde per Sphæram Mercurii animalia producit, Intelligentia Michaël, Præfectus Salomonis. Nonum Sadaii, Numeratio Jesod, ideft fundamentum, influit per ordinem Angelorum, in Sphæram Lunæ, & genus hominum curat, Intelligentia Gabriel, qui fuit Præfectus Joseph, Josue & Danielis. Decimum nomen est Adonay Melech, Numeratio Malchut, hoc est Regnum, Imperium & Prophetiam largitur, influit per ordinem Animasticum, ab Hebræis Issim dictum, hoc est Heroes, Principes, &, cum sint Hierarchiis inferiores, infundunt hominibus rerum omnium scientiam, huic præsidere dicunt animam Messihæ, alii Intelligentiam Mettatron, qui fuit Præfectus Mose; hæc

hæc ergo ſunt Decem Dei nomina, unde & Intelligentiæ emanant.

Si conſideramus triplicem Angelorum diſtinctionem, in tres ordines diviſos, quos Hierarchias vocant, videbimus, quod in Prima ſunt Seraphim, Cherubim & Throni: in Secunda, Dominationes, Virtutes & Poteſtates: in Tertia Principatus, Archangeli, Angeli: de quorũ officio diximus in hujus operis principio; poſt hos eſt Militia Cœli, ſive alii ſeptem ordines, juxta ſententiam Athanaſii de Angelis, ſic inter hos eſt ordo Auxiliaris, ut apud Eſaiam cap.37. legitur. Egreſſus eſt Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia, ſic eſt ordo Aſſiſtentium, de quo apud Zachariam cap. 4. Iſti ſunt duo filii ſplendoris olei, qui aſſiſtunt Dominatori univerſæ terræ; ſic eſt ordo Tutelaris, de quo apud Danielem cap. 10. Princeps Regni Perſarum reſtitit mihi viginti uno diebus, & ecce Michaël unus de Principibus primis venit in adjutorium meum, & ego remanſi ibi juxta Regem Perſarum, & nunc revertar, ut prælier adverſus Principem Perſarum, cum enim ingrederer, apparuit Princeps Græcorum veniens, & nemo eſt adjutor meus in omnibus his, niſi Michaël Princeps veſter; & cap.12. In tempore autem illo conſurget Michaël Princeps Magnus, qui ſtat pro filiis populi tui: loquitur autem hoc loco de ultimo dierum, & de reſurrectione bonorum & malorum, ſicut Joannes in Apocalypſi, quod non intellexit Abraham Aben Esra loco ſupra citato, intelligens de Michaële Intelligentia Solis, quæ quidem non eſt Michaël ſed Raphaël, ut diximus: quod ergo Cœlis & Planetis motrices Intelligentiæ adſint, & quod ſint ſeptem Gubernatores Mundi, Trimegiſtus in Poëmandro demonſtrat, dum inquit. Masfœmina exiſtens vita & lux cum ſit, parturiit Verbo aliam mentem opificem, quæ Deus ignis & ſpiritus exiſtens, effecit Rectores quosdam ſeptem in circulis continentes ſenſibilem mundum, & regimen illorum *Fatum* vocatur, quod autem hæ quodam annorum ordine regant ab Abrahamo, Tri-

temio & aliis assignato, & non una post aliam, ut Planetæ, sed ordine mutato, vana res est, & nullius ponderis.

Quamplurimi autem Astrologi, Orbi Magno 360. annos assignant, & à Saturno incipiunt, cæterosque Planetas in ordine ponunt, inchoant verò à signo Cancri, dicendo, quod Saturnus præfuit in mundi initio cùm signo Cancri, & ejus Profectiones erant in capite Arietis, & quod in conjunctione significante Diluvium, quam præcessisse Albumasar credit per annos 287. Omar verò per 279. cui omnes assentiuntur, incipiebat Nonus Orbis ante diem Jovis, & huic præfuit Saturnus cum signo Cancri, & initium Orbis per directionem erat in primo Arietis gradu; sed pace Astrologorum omnium, hoc apud me absurdum maximum est, & primò Diluvium communiter receptum est sub anno 1656. completo, à quo si subtrahatur conjunctio antecedens, quam dicunt ipsum demonstrasse, remanent anni mundi 1377. quatuor Orbes reducti in unum pariunt annos 1440. à quibus detractis 1377. remanent anni 63. ad complementum quarti Orbis; modò dico, quomodo hic Orbis ab illis assignatur Nonus, si hæc conjunctio incœpit in fine quarti, ut supputatione constat; sed esto, sit Nonus, dico, quod Saturnus non poterat esse Dominus Orbis, neq; Cancer signum; aut hi Planetæ successivè, unus post alium, regimẽ accipiunt, aut non? primũ concedunt omnes, ergo Saturnus fuit Dominus Octavi, Jupiter verò Noni; amplius, si signorũ numeratio per illos incipit à Cancro, signũ Orbis Noni fuêre Pisces, non Cancer; si ergo ordinẽ non servant Planetæ aut signa, Orbis assignatio est frivola, sicut divisoris opinio risu digna.

Sed sub quo Orbe simus, quis mihi indicare potest, cum mundi ætas incertissima sit? nam regula Astrologorum ad reperiendum Orbem magnum, sumpto ordine ab illa conjunctione & annis à diluvio ad Christum, quos desumũt ab Alphonso 3102. & uniunt simul, postea dividunt per 360. est falsa. Anni à diluvio ad Christum, secundum plurimos Chronologiæ professores assignanter 2293. secundum Joannem Lucidum 2304. differentia

inter

inter hos est tantum annorum 11. sed illa inter hos & Alphonsum excedit annos 800. quomodo ergo hi Orbes desumi possunt juxta hanc regulam? secundum primos assignantes Intelligentias, ut notat Tritemuis, sumus sub vigesimo, qui incœpit anno 1525. Julii Rectore Gabriele Angelo Lunæ. secundum cæteros Astrologos incœpit decimus quartus Orbis Lunæ cum signo Leonis anno 1300. & desinit 1659. cui ego experientiâ teste facile assentior: incœpit verò decimus quintus 1660. dominante Saturno cum signo Virginis, de quo ipse Virgilius Ecloga quarta cecinit.

Iam redit & Virgo, redeunt Saturnia Regna.

Secunda causa mutationum in mundo sunt conjunctiones maximæ, & magnæ ponderosorum Planetarum (nec spernenda illa Saturni & Martis in Cancro, in quo uterq; infelix, & fit quolibet trigesimo anno, eritque 1680. die Augusti 30. in gr. 19. 16. cujus significata observata maximè in hoc signo corruptionem, bella, mortem Regum, Principumque prætendunt) quando mutantur de trigono in trigonum, cum autem omnes dicant, quod mundus conditus sit sub Trigono igneo, ita ego dicere possum, quod, quando Omnipotens creavit Cœlum, posuit sydera errantia in primo Zodiaci signo, nempè Ariete, quomodo ergo Orbis magnus, dominante Saturno à mundi exordio poterat esse cum signo Cancri? fuerunt ergo omnes Planetæ in primo Arietis gradu, & tunc fuit conjunctio maxima; quæ postea observata est reverti ad caput Arietis, in annis circiter 795. quod communiter recipitur, sed nostro seculo non sic fuit, ut demonstrabo; postea de igneo transeunt in terreũ, de hoc in aëreum, & tandem in aqueũ, in annis circiter 199. pro unoquoque: dico circiter, cùm hæc regula ab omnibus assignata non sit vera, nam completis annis Trigoni aquei in anno 1583. conjunctio debuerat esse in Ariete, & fuit in 21. Piscium gradu, sic illa anni 1643. in gr. 25. 30. Piscium, nec est dicendum, quod fuit platica, & per Orbem in Ariete, nam quando loquimur de conjunctione tali, ut talis est, intelligimus semper de partili, h. e. iisdem gradibus & minutis in tali signo, sed de his, Deo favente, alibi dicemus. Ex.

Ex Conjunctionibus ergo Planetarum in his Trigonis tales effectus observati sunt: in igneo fiunt Monarchiæ, Imperia, propter Jovis & Solis dominium, hinc tranquillitas & pax, vigent Viri illustres, sapientes, sed terræ sterilitates magnæ. In terreo terræmotus, inundationes & Cometæ, nec non Principum regnandi imperitia, & labescere dicunt Monarchiam in igneo conditam (sic in hoc Trigono Caroli Magni Monarchia minui cœpit, quæ in igneo velociter se erexit) & dissolvi ea, quæ facta sunt sub aqueo, in aëreo Monarchia in igneo facta dissolvitur, & in alias Regiones transfertur, Respublicæ conduntur, ut Veneta, artes invalescunt, & viri insignes, sed improbissimi, deceptores, vitiisque libidinis impliciti, aderuntque multi Cometæ: in aqueo Monarchia prima frangitur, bella, devastationes Provinciarum, invasiones piraticæ, in mechanicis verò miræ inventiones, sed plures hæreses, & novi morbi maligni.

Hæ autem conjunctiones, ut maximæ, non sunt magnis anteponendæ, vel magnæ minimis, nam vi signi & conjunctionis omnes æquales & æquipotentes habendæ sunt, & earum significata à maximis in magnis, deinde in minimis paulatim in lucem producuntur; agens enim naturale prius disponit, deinde agit, & effectus tamdiu durant, quamdiu patiens & agens fuerit invicem proportionatum. Mundus ergo, ut dicunt, conditus est in Trigono igneo, & igne concupiscentiæ adaucto in alio Trigono igneo aquâ destruitur & renovatur, unde illa conjunctio Albumasaris & Omar supradicta, quæ demonstravit diluvium, facta fuit (ut supputatione constat) in Trigono aëreo, quomodo ergo poterat demonstrare diluvium ante 279. annos? & si demonstravit, quare factum est in igneo Trigono, & non in aqueo: nam quidquid conditur in igneo, in aqueo destruitur; sed isti elleboro epoti, mirum non est, si hæc somniarunt, diluvium enim per astra non est demonstratum, sed per minas iræ Dei in impietatem gentium, per Noë servum suum.

Anno

Anno ergo 131. poſt diluvium, in fine ignei Trigoni, tertiæ conjunctionis maximæ ſuperiorum, Nemroth filius Chus ex progenie Japhet, in campo Semnaar cum aliis ædificavit turrim, ſed non complevit, & facta eſt diviſio linguarum, & ab hoc ſumit initium Regnum Chaldæorum, ſive Aſſyriorum, quod vocatur Babylonicum ex turri Babel: regnavit ergo Nemroth annis 56. cui ſucceſſit filius Belus, dictus Jupiter, regnans annis 62. poſtea Ninus ejus filius 52. & hic primus Monarchiam cœpit, cui ſucceſſit Uxor Semiramis Aſcalonita, regnans annos 42. quæ teſte Beroſo anteceſſit, militia, triumphis, divitiis, victoriis & Imperio omnes mortales. Monarchia hæc incipit in Trigono terreo, & à Nino Idololatria initium ſumit, & primus templum patri Belo & Rheæ Aviæ, Statuasque in medio Oppidi Babyloniæ erexit. Incantationes & maleficia hoc tempore inventa ſunt, per Zoroaſtrem Bractrianorum Regem, quem Ninus in bello ſuperavit, de quibus ſcriptum eſt apud Arnobium, ut inter Aſſyrios & Bractrianos, Nino quondam Zoroaſtroque ductoribus, non tantùm ferro dimicaretur & viribus, verùm etiam magicis & Chaldæorum reconditis diſciplinis.

Principium ergo Regni Babylonici fuit in fine Trigoni ignei, & in fine aquei Monarchia completa eſt, nam à primo Rege Nemroth uſque ad mortem Sardanapali, ſunt anni 1352. à Diluvio verò ad finem Sardanapali 1483. cum autem igneum Trigonum incæpiſſet ante diluvium, annis fermè 66. quibus additis 1483. conficiunt annos 1549. his addo duas conjunctiones maximas ex annis 795. & fiunt anni 3139. cum autem quatuor maximæ conjunctiones pariant annos 3180. ſubtracta una ab altera, remanent anni 41. ad finem aquei Trigoni.

Belochus tertius Princeps militiæ Sardanapali, prodito Domino ſuo Sardanapalo, partitus eſt cum Medis Monarchiam, ſed poſt novem Regum dominium Cyrus, Balthaſare interfecto, reunitam Monarchiam in Perſas tranſtulit: anni ergo horum Regum ſunt 304. qui ſi addantur annis ſupra conjun-

ctionis Trigoni aquei, consurget numerus annorum 3443. incidens in Trigonum terreum: à Cyro autem usq; ad Alexandrum Magnum, qui transtulit Imperium in Græcos, duravit reunita Monarchia à Cyro ad Alexandrum annos 191. qui si addantur annis 3443. efficiunt 3634. incidentes in Trigonum aëreum, ergo Regnum Babylonicum incœpit in Trigono igneo, Medorum in aqueo, Persarum in terreo, Græcorum in aëreo.

Romanum Imperium, quod initium sumit à Cajo Julio Cæsare, à quo cæteri Imperatores Cæsares vocati sunt, sub aqueâ Triplicitate conditum est, & non in ignea, ut falsò putavit Cardanus, ideo adveniente igneo Trigono circa annum 788. mutationem maximam expertum ad Gallos translatum est. Carolus enim Magnus, cum prius regnasset in Gallia, annos 33. assecutus imperium in anno 801. imperavit usque ad 815. redeunte postea aqueo Trigono, & maximè sub Carolo Quinto, cujus genesis Trigono illi conveniebat, auctum est, & se amplificavit: sed quãdo de aqueo in igneum deventum est, Revolutiones maximæ & mutationes in Imperio secutæ sunt: anno enim 1603. & 1613. calamitatibus auctum, & ferè prope interitum sub Suetiæ Rege Gustavo Adolpho, mutatâ verò triplicitate in anno 1643. quæ debuerat esse in Ariete, & fuit in Piscibus, quievit & firmatum est in domo Austriacâ, non sine tamen aliquâ vexatione; sed nunc redit in faustum Trigonum duraturum usque ad annum 1802. sed vanus erit conatus illorum, qui putant evertere Imperium, plantam pedis habet ferream fortiterq; infixam humo, & ideo tunc destruetur, quãdo Christus cæteris Mundi Regnis finẽ imponet.

Confirmat hoc Prophetia duplex Sibyllæ Tiburtinæ, & primam refert Beda, Godefridus Viterbiensis, aliique, quam in sui Nuclei historici parte secunda notat eruditissimus P. Gabriël Bucelinus. Ab Aquilone surgent spurcissimæ gentes in multitudine, quas Rex Romanorum funditùs disperdet, & tum Hierosolymis Rex ille, deposito diademate, Regnum Deo relinquet & Christo ejus, & cessabit Romanum Imperium, & Antichri-

stus

ſtus manifeſtabitur, & occidet Enoch & Eliam, & Judex veniet judicare vivos & mortuos.

Secunda fuit inventa in antiquiſſimo marmore, latinis vetuſtisque characteribus apud Helvetos, in Tauri montis viſceribus, aquarum & nivium rapidâ vi detectis anno 1520. hæc citatur à Cornelio Gemmâ in ſuo de Divinis Characterismis Opere, & ab eo Tycho in fine primæ partis Progymnaſmatum, mihi autem placuit in meliorem formam redigere.

Orietur Sydus in Europa ſupra Yberos, ad magnam Septentrionis domum, cujus radii Orbem terrarum ex improviſo illuſtrabunt: hoc verò erit tempore deſideratiſſimo, quo mortales poſitis armis pacem unanimes complectantur: certabitûr quidem variis per diuturni interregni occaſionem ſtudiis, cui Imperii habenæ tradantur; ſed vincet aviti ſanguinis propago, quæ eousque armorum vi progredietur, donec Fatis contraria Fata obſtiterint; nam eodem ferè tempore, hoc demorſo ſydere, coævum quoddam ejus lumẽ longè ardentioribus Mavortis ignibus exardeſcens, Antipodum finibus occludet Imperium. At prius huic ſubmittet cervices Gallia; ad ejus genua ſupplex adnictabit claſſibus Britannia. Italia ægrè ad ardua ſceptra reſpirans olli languentem protendet dexteram: verûm hocce Jubar ante diem ingenti mortalium deſiderio ſe Divûm nubibus condet, quo extincto poſt diros & ſanguinolentos Cometas, ignivomasque Cœli facies nihil amplius tutum ſalutareque erit. Osque animantibus Cœli firmamentum, pugnantibusque Planetis & contrariis curſibus labefactabitur: concurrent orbibus orbes, fixæ curſu antevertent Erraticas, æquabunt æquora montes, hæc omnia denique erunt, nox, interitus, ruina, damnatio, & æternæ tenebræ.

Hæc ſunt de Imperii Romani duratione fundamenta per vaticinia, de Domo autem Auſtriacà aliqua dicemus, quia vir quidam eruditiſſimus Emmanuel Boccaro y Roſales, Luſitanus Hebræus in ſuo Fœtu Aſtrologico de ipsâ hæc ſcribit.

 Coronæ

Coronæ Austriacæ incœperunt capere augmenta sua in decimoquinto Orbe Saturni, sub signo Sagittarii in Autumno, anno 1280. sub Rudolpho Primo, fit autem iste numerus à Cubico à septimo, & cum desint septem anni ad complementum Orbis magni 1640. tunc ab anno 1633. suas malas fortunas incœpisse diximus.

De Orbibus supra satis diximus, ex quibus deducitur hujus viri error satis magnus, tum in numero Orbium, tum in annis, nam secundum omnes decimus quintus incœpit anno 1660. & non in anno 1280. ut ille ponit, habitâ etiam annorum supputatione ab Adamo ad diluvium secundum Hebræos, nempè 1656. cui Scaliger cum aliis assentitur. Nihil dico, quod credat esse in Autumno, quia tempore diluvii incœperunt anni dierum Hebraici à die secundâ Octobris Juliani Næomenia Ethanim: credunt enim Hebræi mundum conditum fuisse in æquinoctio Autumni, &, ut quidam dicunt, die 17. Novembris, sed Moyses ipse divinâ ordinatione anni principium in vere instituit non solùm ex beneficio liberationis ex Ægypto, sed quia tunc fuerat mundus conditus, ut habet Rabbi Josue; nonne & Hebræi dicunt, ante ipsorum ingressum in Ægyptum, quod incipiebat annus ab æquinoctio verno ex antiquâ Patrum consuetudine, qui cognoverunt mundum fuisse tempore veris creatum? sententiam Hebræorum confirmat Joannes Bodinus; à veriori autem & nostrâ non dissentit Joannes Lucidus, & quamplurimi Chronologici. Videat ergo nunc, an suus Orbis decimus quintus sub Saturno cum signo Sagittarii habuit initium anno 1280. nam anno 940. Dominus Orbis decimi tertii fuit Mercurius cum signo Cancri 1300. Decimi quarti Domina fuit Luna cum signo Leonis, & nunc decimi quinti 1660. Saturnus cum signo Virginis usque ad annum 2020. quo tempore Jupiter cum signo Libræ dominium suscipiet; de numero postea Cubico à septimo infra dicemus, ubi agitur de Numeris, qui mutationibus Regnorum inserviunt.

Addit Rosales, ex Conjunctione Saturni & Jovis in Sagittario 1603. & ab Orbe magno decimosexto Saturni, sub signo Capricorni incipiente 1640. & à minori Solis Eccentrecitate 1653. Imperium Romanum ferè collabi videbitur, sed in hac septimâ Triplicitate renovabitur ab Austriacis, atque iterum in ejus Augustissimâ domo permanebit per alium Orbem magnum 360.

Nunquid de utroque Orbe 1280. & 1640. debet esse Dominus idem Planeta Saturnus, & reliqui quando dominium suscipient? amplius, dato, quod decimus sextus Orbis talis sit, sicuti falsum est, Profectio ejus est ad Capricornum, nonne Orbis initium sumitur à Cancro? sic docuêre omnes.

Nunc ergo restat dicendum, quod Coronæ Austriacæ non incæperunt sub hoc Orbe Saturni, sed circa finem Orbis decimi tertii Mercurii, nempe anno ejus regiminis 333. & per consequens, malè posuisse Rosalem ejus initia sub alio Orbe.

Addit: major Solis Eccentrecitas gr. 23.5′2. fuit tempore Julii Cæsaris, minor 23.2′8. ex Copernico anno 1653. in Majo, & quamvis calculus non correspondeat, si quidē Eccentrecitas hodierna ex Tychone est gr. 23.3′1.31″. nihilominus judicia Astrologica non sunt contemnenda, cum ex hac mutatione (datur enim, ut patet) & ex Orbe magno in Autumno 1640: & ex aliis causis à nobis relatis deducantur: hæc ille:

Solis Eccentrecitas cum declinatione Orbitæ Solis ab æquinoctiali adeò consentit, ut existente maximâ vel minimâ, etiam talis futura sit Zodiaci Obliquitas: utraque variè observata est. Solis enim Eccentrecitatem constituêre Hipparchus & Ptolomæus gr. 2.5′. Albategnius & Arzacheles gr. 2. Copernicus gr. 2.3′. Tycho gr. 2.2′.4″8. Maginus verò & Argolus cum clarissimis Europę Mathematicis unanimes posuêre gr. 2.3′.10″. hanc ergo Solis Eccentrecitatem invariabilem posuit Tycho, Eclipticæ verò Obliquitatem gr. 23.31′.31″. nec video aliam variationem fuisse in Eclipticâ, nisi in annis sequentibus 1646. gr. 23.3′1.30″.

1647.gr.23.3'1.32". 1648. gr. 23 3'1.32". 1649 gr. 23.3'1.3'1. unde datá invariabilitate Eccentrecitatis, nescirem, qualem veritatem sortietur ejus Prognosticum. Obliquitas enim Eclipticæ fuit 1653.gr.23.31.31. nec fiet mutatio, nisi in anno 1682.gr.23.30'.0". & tunc constituitur invariabilis: ex hoc ergo deducitur, quod neque Orbis magnus in anno 1640. secundum Rosalem, nec minima Zodiaci obliquitas quidquam damni Imperio Austriæ afferre possint, & per consequens, ejus duratio per alium Orbem est chimerica, cum nulli adhæreat rationi.

Sed alii rerum abstrusarum indagatores observant Domus Austriacæ & Ottomannicæ eundem esse ortum, & ex hoc utriusque simul interitum denuntiant; his respondemus Austriacam pro Imperio ortum habuisse anno 1273. Ottomannicam verò anno 1300. & hic Annus est initium Hægiræ Turcarum; si consideramus sub quo Orbe Austriacam in fine decimi tertii Mercurii, Ottomannicam in initio decimi quarti Orbis Lunæ, hoc tamen verum est, Utramque sub Trigono aëreo ortam esse, in quo Trigono Monarchia in igneo facta dissolvitur, & in alias Regiones transfertur: sed Romanum Imperium in aqueâ triplicitate ortum esse jam demonstravimus, & quotiescunq; ad igneam deventum est, semper revolutiones maximas est expertum: Ottomannicum verò non solum cum Orbe Lunæ incœptum, sed aqueo Trigono succedente 1384. maximè auctum, nil mirum si tale perseverat, & quamquam videatur suas vires ad alia Regna arripienda extendere, non multum tamen duraturum censendum est. Imperium verò Romanum nimis perturbatum, & ferè concussum, ex magnis superiorum conjunctionibus 1603. in Sagittario, & 1623. in Leone Historiæ satis declarant, sed cum anno 1643. eadem expectaretur conjunctio in Ariete, rediit ad Pisces correspondens illi anno 1583. & emoriens Germania tandem respiravit: cum autem Astrologi omnes contendant eam fuisse platicè, & per Orbem in Ariete, non tamen negare possunt fuisse partiliter in gr. 25.30'. Piscium, sed si tempus diversum pro effe-

ctibus,

ctibus, ratione utriusque triplicitatis divisérimus, equidem perpulchrè accidentia in Imperio apparebunt.

Conjunctiones de Trigono in Trigonum sunt ferè per annos 200. (quæ quidem regula tuta non est, ut supra diximus) deinde de signo in signum migrant ejusdem Triplicitatis ferè in annis 20. dividamus nunc hoc tempus ratione Triplicitatis diversæ ab anno 1643. usque ad 1653. effectus sunt de Trigono aqueo, & hoc tempore pax facta est in Imperio, Cæsar cum Transilvanis, Danus cum Suecis, & pax 1649. conclusa toto Imperio vulgatur, tandem anno 1653. Augustæ Ferdinandus Rex Romanorum eligitur, & Ratisbonæ in Comitiis unà cum matre coronatur; hæc sunt, quæ hoc annorum decennio ad Trigonum aqueum spectant, unde Imperium cum ipso enatum esse, solidissimis jactis fundamentis, demonstravimus: videbimus nunc quid secutum sit in dominio Trigoni ignei Imperio infausti ab anno 1653. usque ad 1663. nam anno 1654. moritur Rex Romanorum Ferdinandus 1657. Ferdinandus Tertius Cæsar Fato communi succumbit, & pericula in hanc Domum incipiunt, unde interitum omnes denunciabant: anno 1658. Leopoldus Primus Imperator eligitur, cui Electioni non defuerunt implicationes & difficultates, ut notum est; postea sequentibus annis, Turcæ Imperium perturbant, & anno 1663. redit Trigonum igneum: sed hoc boni Germania habet, quod hæc conjunctio eam de trino respicit.

Venetiarum civitatis fundatio fuit in anno 420. completo die 25. Martii (ut æstimatur) in meridie, Ascendente gr. 25. 4′5. Cancri, Sole in medio Cœli in Ariete in opposito platico Martis; hujus figuræ locus infelix initium Cancri est, cum quadratum Martis & Solis in duodecimã cadat, Cacodæmone verò caret, & in hoc loco erit Eclipsis Solis 1666. de primâ Julii, & 1694. die 22. Junii, in Ascendente verò Eclipsis Lunæ 1675. Januarii die 11. & funesta Solis 1684. Julii die 12. Hæc autem Respublica in aëreâ triplicitate fundatur, ex primo verò Duce in año 697. in Aqueâ in

Scor-

Scorpione, sed aucta viribus Dominii sedem fundavit in urbe, anno 789. primo Duce in Rivoalto Angelo Baduario, præcessit autem in anno 788. superiorum maxima conjunctio in Ariete, & post hos annos adhuc Juvenis & robore onusta, quamplurimas victorias assecuta dilatavit Imperium, sed in aqueâ Triplicitate ante & post annum 1500. multa amisit, maximè quia Spica Virginis in Imo Cœli diuturnum pollicita Imperium, ad Martis locum pervenit, & redeunte igneâ Triplicitate mutatâ in anno 1643. de Ariete ad Pisces ad Martialia excitata, belloque diuturno afflicta, aliis maximè junctis causis, de quibus suo loco dicemus: sed nunc redit igneum Trigonum, & in anno 1702. die 24. Maii, ea conjunctio, quæ fuit anno 788. in Ariete ad caput Arietis redit, quæ quidem potentissima conjunctio partilissimè in loco Solis in Medio Cœli celebrabitur (oppositum verò Martis ad Ascendentem nebulas aliquas adducet) quid ergo mali expectare potest? significata autem conjunctionis ad Cœli Medium communiter recipiuntur ab Astrologis, de renovatione aut mutatione Principatus, legum & administrationum, sed dicet aliquis, an languidæ ætatis vires possint tantæ conjunctionis tolerare significata? Phœnix annorum pondere gravata, obitu præviso, rogo sibi parato in Cœli Culmine, à radiis proprii Solis, in Ariete igneo signo, igne accenso, quis non videt, quod tandem rediviva resurgit?

Mahomethis exordium præcessit conjunctio in initio Cancri, anno 590. sequentibus aliis duabus 610. in Piscibus, & 630. in Scorpione, inter hos annos promulgata est secta hæc in aqueo Trigono fundata, quæ ex subsequente igneo elanguit, deinde redeunte aqueâ Triplicitate post annum 1384. paulò post multum invaluit, & sic multas Provincias, Civitates & Regna Turcæ devastarunt, 1453. obtinuêre Bizantium, Imperante Mahumetho secundo Amurathi filio; nil ergo mirum, si tanta perseverat potentia Turcarum, nam 1583. cum expectaretur mutatio Trigoni in igneum, rediit conjunctio ad aqueum, celebrata in gr. 21. Piscium,

Piscium, sic 1643. evenit, unde contra Venetam Rempublicam insurrexerunt varia afferentes damna; Civitatesque devastantes in Cretico Regno; amplius anno 1659. duplicem habuêre Eclipsim in Scorpione, utramque faustã pro sui Imperii dilatatione, hinc majori acquisito robore, victoriarum multitudine elati, & bellorum ferocitate adducti, ad totum Orbis Imperium arripiendum, animum adjicient, sed vanus erit hujus sectæ conatus, nam perterriti Germani, Hungari, Itali, aliique Principes exteri, magno copiarum impetu, ipsorum Regna invadent, unde ipsorum Satraparum enata inter se odia & inimicitiæ, aliorumque Procerum rebelliones, tanti Imperii interitus principium comitabuntur, in his enim conjunctionibus 1663. 1682. & 1702. *Nova* stat *Monarchia*, & Mahumethanæ sectæ ruina, quæ tamen non totalis intelligenda est, cum magna sit tanti corporis moles, sed durante igneo Trigono usque ad 1802. poterit forsan tota dissolvi.

Sed horum Trigonorum effectus non solùm in sectis, Rebuspublicis & Regnis reperiuntur, sed & in Familiis præcipuis, quæ quorundam annorum spatio modò deprimuntur, modò eriguntur, & sit Exemplum Domus nostra.

Familia Flisca Comitum Lavaniæ à Ducibus Burgundiæ orta, & in Civitate Januensi inserta, post annum 900. in igneo Trigono initium sumit, & in aqueo, post patratam conjunctionem in Scorpione 1544. in anno 1547. miserrimè perit, sub Joanne Aloysio Flisco Principe Vallistari, sedente Paulo Tertio, & Gallias regente Francisco Primo, qui utinam ansam non dedissent ambitioso Juveni, non ita ploraret innocens posteritas jacta solo, sed *Fuimus Troes*.

Sub aqueo Trigono præterito varia fuêre, plurima bella, Provinciarum devastationes, in Mechanicis miræ inventiones, ut usus Bombardarum, & alia bellica instrumenta. Moguntiæ Ars impressoria industria mirabili inventa est, & Orbis universus per navigationes detectus; aliæ artes & disciplinæ illustratæ

fuêre, sic multæ hæreses ob Martis & Lunæ mixtionem, & etiam Veneris, propter exaltationem in Piscibus, unde additio carnis post carnem, libidinisque nimia indulgentia, sic multæ Civitates tum Germaniæ & Angliæ, & tota Græcia ab Ecclesia Romana defecerunt, multi etiam incogniti morbi in lucem venêre, ut lues venerea, plica Polona, Sudor Anglicus, & alii propter Scorpium & Cancrum. Talia ergo à conjunctionibus in aquea Triplicitate Superiorum Planetarum demonstrata sunt, sed quia nunc redit igneum Trigonum, ideo ad ipsum examinandum descendamus.

Notat Spina lib. 2. de maximis conjunctionibus pag. 110. quod in anno 1662. fit magna conjunctio Saturni & Jovis, mense Decembris, in fine primæ faciei Sagittarii cum Martis præsentia, sed fallitur; nam hæc conjunctio fit anno 1.6.63. Octobris die 21. in secunda facie Sagittarii nempe gr. 13, 50'. cui erit platicè juncta Venus, & de trino partili Mars in Leone locum aspicit: ex hac ergo conjunctione in Mundo multæ erunt dissensiones & Regnorum revolutiones, quotiescunque enim de aqueo Trigono in igneum deventum est, semper revolutiones maximæ contigerunt, eruntque hæc in vigore, anno 1673. & tunc Superiores in mense Majo, die primo, in signis æquinoctialibus, hostili radio se aspicient, & die 19. fit quadratus Jovis ad Martem in Cancro, & die 24. ad Saturnum, unde circa Sacra & materiam Religionis novitates aderunt, sed hæc conjunctio 1663 fit in Trino Ascendentis Romæ, Galliæ & Germaniæ, in quadrato verò Portugalliæ.

Sed Spina loco supra citato dicit, quod in mense Julii 1682. fit magna conjunctio Saturni & Jovis, in prima facie Leonis atq; in cervice ipsius, sed fallitur, nam hæc conjunctio verè fit 1682. sed mense Octobris die 30. in fine secundæ faciei Leonis in gr. 19.55'. (præcedent tamen mense Septembris conjunctiones minores die 15. Jovis ad Martem, die 22. Saturni ad Martem, unde in Autumno Trium Superiorum in Signo igneo configuratio valde

valde timenda est) hæc autem erit potissima causa, ex qua consurgent novæ revolutiones & mutationes in Rebuspublicis, Imperiis & Regnis: cum autem eadem conjunctio redeat anno 1.6.83. mense Majo, die 26. in gr. 15.34'. Leonis in eodem gradu Ascendentis Romæ, & quia in signo fixo durabiles effectus demonstrat, exaltabitur ergo Petri Solium, & multæ Oves, quæ perierant, ad suum Pastorem revertentur, & hoc anno Columnam magnam ventus concutiet, utinam non prosternat.

Conjunctiones sequentes improbo labore ex Tabulis supputavi, & sunt hæ.

Anno 1702. die 24. Maii conjunctio Saturni & Jovis erit in gr. 6.57'. Arietis. 1723. die 9. Januarii in gr. 24.19. Sagittarii. 1742. Septembris 10. in gr. 29.10'. Leonis. 1762. Martii 24. in gr. 13.30'. Arietis. 1782. Novembris 15. in gr. 29.49'. Sagittarii, & tandem 1802. Augusti die 2. fiet mutatio ignei Trigoni in terreum in gr. 8.10'. Virginis.

Potentissima autem hæc est Saturni & Jovis, ad caput Arietis conjunctio, quæ cum visa fuerit à mundi exordio (ut dicunt) usque ad annum 788. reverti in annis 795. circiter constituêre Astrologi, quasi regulam infallibilem, ut ad alia tempora hac methodo deduci posset; hinc erravit Cardanus cum aliis dicens: Post annum 1583. cum cœperint conjunctiones ad primum Trigonum redire, futuram novam potentissimam Monarchiam, ut omnia regantur nutu illius; at ea conjunctio anni 1583. non fuit in Ariete, sed in 21. gr. Piscium, ideo ab illa ad hanc sunt anni 914. & cum ordo erectionis Monarchiarum observatus sit singulis 800. annis, ut ex historiis Medorum, Persarum, Romanorum, aliorumq; colligitur; & ex illa Caroli Magni incepta anno 801. manifestè apparet, quod ab illa ad nostra tempora excurrunt anni plusquã 860. unde initium alicujus Monarchiæ nondũ observatur: ex quibus magis apparet veritas meæ opinionis cõtra omnes Astrologos, non esse fidendũ regulæ Antiquorum circa conjunctiones & alia, neq; ab anno 788. usq; ad 1702. aliã fuisse in Ariete,

etsi contendant eam anni 1643. fuisse, quæ tamen fuit in gr. 25. 30'. Piscium, ut notum est, & supra demonstravi: quare autem nostro sæculo hæc experimur, ut Planetæ non servent ordinem, quem à mundi exordio usque ad 788. observarunt, mihi non licet ponere os in Cœlum.

Duplex ergo Civitatum Genesis, quarum innotescit Ascendens, venit consideranda in hac conjunctione, nempè Romæ & Venetiarum, hocque tam mirum est, ut illud observatione dignum inter earundem felicitatum signa annotare voluerim. Illa anni 1683. (ut dixi) fit in Ascendente Romæ in eodem gradu, hæc in nona Regionis ad locum Solis. In Themate Venetiarum ad locum Solis in Cœli medio; addo, quod si Genesis Florentiæ (quam ex parte desolatam reparavit Carolus Magnus, recepto à Leone Tertio Imperatoris nomine, cum in Galliam reverteretur per Hetruriam transiens, in memoriam acceptæ dignitatis) vera est, erit hæc conjunctio in Ascendente, ubi sunt Luminaria & Jupiter.

Observamus amplius hanc conjunctionem cum Orbe decimo quinto multum habere consensum, nam dato, ex nostra supputatione, Planetarum motu, invenimus hanc conjunctionem fieri in meridie, locum verò habere in octava cum Venere & Lunam in sua exaltatione cum Mercurio domino Medii Cœli in nona, Solem in decima, Martem verò commutare dignitatem cum Saturno, cum reperiatur in sua exaltatione; Saturnum verò in domo Martis & exaltatione Solis, Jovem in suo Trigono, & conjunctionem fieri in Termino Jovis, quadrato verò quamplatico à Marte intueri, partili verò ad Venerem; ex quibus colligitur, quod, datâ tali constitutione figuræ signum Ascendens est Virgo, quod ab elevatione Poli 7. usque ad gradus 80. & ultra, omnibus Poli elevationibus pro Horoscopo inservit, quæ quidem Virgo est Profectio Orbis Saturni: amplius hæc conjunctio est eadem, quæ per sex annos Christi Nativitatem præcessit. Sidus sub Augusto apparuit, in quo erat Imago candidissi-

didissimæ Virginis puerum gremio complexæ, quam Sibylla Tiburtina Augusto ostendens, dixit: *Hic puer Major te est, hunc adora*: & Ascendens Genesis Christi fuit Virgo, nam in gradu Ascendentis habuit Virginis Spicam cum Jove: sed quid ultra quærimus?

Magna ergo expectare debemus: bella plurima, sanguinis effusiones, Regnorum mutationes & revolutiones, nova erigetur Monarchia, Christi lex augebitur, eritque aliarum Sectarum destructio; per Virum magnum multa signa fient, signaque dabit Cœlum, lumina luminibus addens, quæ ab omnibus conspicientur, tandem pax & quies, qualis fuit à mundi exordio, Orbem reviset: sed non credas hæc in ictu oculi fieri, nam significata tantæ conjunctionis, per illas minores, quæ sequuntur ejusdem naturæ, & quæ integro sæculo clauduntur, paulatim suos pandent in terris effectus, & multa quidem videbuntur in prima quarta Orbis Saturni, quæ ad annum 1750. extenditur, postea mutato Trigono in anno 1802. etiam significata mutabuntur; nam vix transacta Orbis medietate, circa annum 1840. incipiet Principum regnandi imperitia, hinc voluptatum libidinumque causâ; Monarchia minui incipiet, & in alios distrahi; terræmotus, inundationes & Cometæ non deerunt sub hoc Trigono, qui millenarium claudit: sed de his satis.

Legum etiam promulgationes per Trigonos adnotatæ fuerunt; Idolorum incœpit in terreo sub Nino, in parte Meridionali orta, Judaica in Oriente instituta in aëreo, Christiana in igneo in Oriente orta, in septentrione firmata; Mahumethana verò in aqueo, & sub hoc hæreses Calvini, Lutheri & aliorum: sed audiamus Cardanum in libro primo, de Supplemento Almanach cap. 22.

Leges Christiana & Judaica à Deo sunt, fortuna tamen militantium à superioribus gubernatur: Judaica à Saturno, vel ejus stellâ, vel potius utroque: Christiana à Jove & Mercurio; Mahumethi à Sole & Marte æqualiter dominantibus, unde justi-

tiam custodit, verùm cum impietate & crudelitate magnâ: Idololatrica à Luna & Marte. Solvitur autem unaquæque lex suo contrario; Saturnum debellat Jupiter auctoritate, & Mercurius ratione. Jovem & Mercurium debellat Mars, non audiens rationes, & sæviens contra auctoritatem. Martem & Solem debellant Saturnus & Venus, hæc lasciviâ, ille dolis. Martem & Lunam Sol & Jupiter destruunt auctoritate, dignitate & veritate. Ob hoc Christiani erigite capita, qui potest capere, capiat.

Sed sit conclusio contra Astrologos: Mundi ortus, Diluvium Noëticum, Lex data Moysi, Christiana Religio, & alia hujusmodi Stellis non subjiciuntur; quia, cum sint supernaturalia, naturæ non subjiciuntur, minimè verò Stellis; sed dicendum est, quod fuerint sub Constellationibus, quasi secum contemporaneis, non autem ab illis, ut à causis.

Tertia causa Mutationum in Mundo, est Translatio Stellarum de signo in signum; observatum est à Ptolomæo conficere gradum unum singulis centum annis, & sic totus circulus in 3.6000. Albategnius in 66. ergo in 23760. circulum absolvent: secundum Alphonsum in 49000. & Copernicum 25816. secundum verò Tychonem hoc sæculo correspondens observatio est, conficere gradum unum in annis 70. & mensibus. 7. ergo in annis 25410. tota periodus absolvitur, sed omnes falluntur.

Ab Hipparcho enim ad nos observatum est, Solem incessanter descendere ad terram, unde prævenit solstitia & æquinoctia, angustiores circulos describendo, & sic terræ continuò fit propinquior, unde obliquitas circa Tropicos decrescit, hinc fit, ut interfecet Æquatorem, etiam priusquam olim; tempore enim Chaldæorum, Abrahami & Moysis incipiebant annum ab æquinoctio verno à prima Stella Arietis Stellati, quæ nunc in fine Arietis est in gr. 28.31'.33''. & in anno 1770. erit in Tauro;

cum

cum autem conjunctio capitum Arietis, octavæ & nonæ Sphæræ, secundum Ptolomæum sit in 36000. annis, putavit Cardanus celebratam fuisse Christo nascente, sed fallitur: nam non solùm ex calculo Copernici, sed etiam Tychonis distabat hæc prima Stella Arietis à Cardine æquinoctiali gr. 4.57'.2"8. ergo anno 349. ante Christum erat in primo Arietis gradu; si autem hæc semper recessit, cum ætas Mundi incertissima sit, nos ingenuè nescire fatendum est, quale sidus ab exordio Mundi fuit caput æquinoctii.

Si consideramus hoc tempore Stellarum statum, nulla Stella Arietis erit in Ariete post annum 1770. sed omnes in Tauro: Stellæ Tauri multæ sunt in Geminis; Geminorum ferè omnes in Cancro, Cancri multæ in Leone, sic Leonis in Virgine, Virginis multæ in Libra, omnes Libræ in Scorpione, illæ Scorpii incœperunt ingredi Sagittarium anno 1.1.88. Sagittarii, unâ exceptâ, quæ anno 1.7.64. Capricornum ingreditur, reliquæ sunt in Capricorno; Capricorni multæ in Aquario; Aquarii multæ in Piscibus, & tandem illæ Piscium ingredi Arietem incœperunt Anno 107. ante Christum, & nostro seculo paucæ in Piscibus reperiuntur, sed reliquæ in Ariete sunt, unde totus Zodiacus mutatus est, & æquinoctium non est amplius in Ariete, ut fuit, sed nunc est in Piscibus; quomodo ergo de effectibus Stellarum, nunc à Stellis in alia signa translatis, judicare Astrologus potest? nec est audiendus Cardanus, qui ausus est dicere, Ptolomæi doctrinam esse perpetuam, cum istæ proprietates signorũ in nono Orbe describantur, qui quidem etsi sine Stellis sit, cum de Signo in Signum migrent, tamen remanere impressiones ab octavo Orbe: sed non videt Vir Sapiens, dato, quod tales impressiones remaneant adventu aliarum, illa impressio destruitur; quis non videt impressionem factam à calore, adventu frigoris dissipari? Reformanda ergo est Astrologia, cum naturæ signorum, neque circa generalia, neque circa specialia perseverare possint, sed ex introductione Syderum in novo signo, naturæ

naturæ illorum mutantur. Aries enim tale dicitur à stellis, quæ ipsum componunt, dum ergo istæ migrant in Taurum, illarum natura mutatur, & per consequens influxus, quos pariebant in Ariete, erunt diversi ab illis, quos nunc producent in Tauro, hæc regula est de cæteris signis; non ergo mirum est, si nostris temporibus Astrologorum judicia ut plurimum sint falsa, cum adhæreant Antiquorum scriptis, qui scripserunt de virtutibus stellarum in quo statu erant, non respicientes ad earum mutationes, quas nostris temporibus experimur.

Ex Stellarum ergo præcipuarum, Transitu maximè primæ magnitudinis, mutari Regna & Sectas, observatum est; dum enim Stellæ Tauri intrassent in Geminos, in Ægyptum intravit exterorum Imperium, & ex oculo Tauri plura Regna in Tartaris orta sunt; quando Stellæ Cancri ingressæ sunt Leonem, Vandali, Gotthi & Heruli transierunt in Italiam, & ex cauda Leonis in Virginem, Imperium extra Italiam à Constantino in Græciam translatum est, dum ergo cor Leonis in Virginem transibit, quod erit post annum 2004. Italiæ Dominatus corruet, & transibit ad alios, nec ulla spes erit ex Caniculæ ingressu; à spicâ Virginis in Libram, Regiones Libræ subditæ bona habuêre, & Troglodítæ regno potiti sunt: ex corde Scorpii in Sagittarium, Maurorum virtus decrevit, & ab Hispanis pulsi sunt Regnis; ergo dum transferuntur de Septentrione in Austrum & è converso, res humanæ mutantur, & Regna illis subjecta destruuntur, & alia ex ipsorum transitu initium sumunt: sic Stellæ exteræ exteros inducunt.

Ex Stellis ergo aliquæ sunt Verticales, quæ magnam vim habent, & sunt illæ, quæ super Verticem Regionis quotidie transeunt, cognoscuntur autem esse tales, quando Stellæ declinatio ab æquinoctiali, & Poli Regionis Elevatio sunt æquales: sic Stellæ, quæ simul in eadem Regione ascendunt, aut medium Cœli obtinent, aut descendunt, plurimum eodem tempore possunt, quia vires inter se commiscent. Aliæ sunt Horizontales, & hæc semel

ſemel in die perveniunt ad communem interſectionem Horizontis, potentiſſimæ ſunt, & cognoſcuntur, quando Declinatio eſt æqualis complemento Regionis, quod eſt gr. 90. ſi major eſt complemento, cum latitudine Meridionali ſub Horizonte latet, ſi Septentrionalis, ſemper apparet.

In cauda Urſæ majoris ſunt tres Stellæ magnitudinis ſecundæ, de natura Martis, cujus caudæ ſignificata ſunt ſuper fortitudinem, cui non eſt ſimilis: ideo dicit Cardanus in primo libro de ſupplemento Almanach cap. 10. quod tempore ædificationis Romæ fuit ei Stella Verticalis extremum caudæ Urſæ majoris, & ideo Romani dominati ſunt Orbi propter fortitudinem ſuam, cum autem receſſit, debilitati ſunt ita, ut ſolum nomen retineant: hoc autem fuit etiam ex Stellis, quæ illi urbi ſupervenerunt, & fuerunt dextrum latus Perſei & caput Serpentis: deinde tranſivit cauda urſæ ſuper Bizantium, & conſtituit ibi Imperium, deinde ſuper Galliam, & tranſtulit eò Imperium, demum pervenit ad Germanos, & tranſtulit ad ipſos Imperium, & nunc eſt etiam ſita ſuper Germaniam: ſupputationes autem aliquot Stellarum à Cardano factæ ſunt anno 1.5.37. ex quibus docti in arte percipient, quantum ſit fide dignus; nam de qua Stella caudæ urſæ loquatur, non dicit, ſed loquatur de qua vult ſupputatione, conſtat (cum hæ Stellæ nunc ſint in Virgine) nunquam fuiſſe, neque Romæ, neque cæteris locis, quos annuit Verticales, ſicut ex ipſorum declinatione tempore ædificationis Romæ, anno 752. ante Chriſtum, tum ex ſupputatione Ptolomæi anno 139. poſt Chriſtum, nam tunc erant in Leone, quamquam prima, tempore exordii Romæ, fuiſſet in fine Cancri, Verticalitatem ſupputando invenire non potui, neque Romæ, neque aliis locis ſupradictis inſervientem.

Sed extat novus liber impreſſus Pariſiis anno 1.6.58. à quo circa Stellas Regnis Verticales, aliqua annotare & examinare volui, ut veritas mihi ſemper grata appareat: titulus autem eſt iſte: *Aſtrologia Nova Methodus Franciſci Allei Arabis Chriſtiani*:

hic enim, ut alter Enoch, ſcientiâ ſuâ non ignorat horam creationis Mundi, Figuram conſtituit, & hujus medio ſcit omnium Regnorum principia, Legum, Sectarum & Similium: pagina ergo 33. Fati Univerſi libro primo ſic habet:

Similiter caput Meduſæ tranſiens in Figura Univerſi per radicem Regnorum aut Legum, magnas illis affert calamitates, verbi gratia, dum occurrit in Imperio Romano ab Urbe condita anno 243. mutatur regimen Regium in Ariſtocraticum. Imperium Romanum cœpit à Julio Cæſare in gr. 27. Tauri, translatum eſt ad Francos anno 800. in 7. Leonis cum Algol tranſit per 27. Tauri: anno 830. magna perſecutio in Eccleſia ab Iconoclaſtis, cum Algol tranſit per 1. Geminorum radicem Chriſtianæ Religionis: tranſiens per originem Galliæ anno 1.2.69. Galli infœliciter aggrediuntur expeditionem contra Turcas, in qua Sanctus Ludovicus Rex moritur: dum tranſit per radicem Sectæ Mahumethanæ circa annum 1.4.40 infert illi maximas clades per Scanderbeck & Joannem Huniadem, Duces Chriſtianos; dum tranſit per originem Hiſpaniæ circa annum 1.5.72. Hollandi ab ipſá deficiunt, denique per radicem Angliæ anno 1.6.49. ſignificavit Principes capite plectendos, ſic & excidium proximum minatur Lotharingiæ. Hæc & alia ſi perpendas Lector, Imperiis ordine ſuo mala venientia, agnoſces non vanam eſſe obſervationem Cœlorum, ſic regulariter cum Divinæ Providentiæ decretis concurrentium: hæc ille

Ego quidem fateor me penitus ignorare quali conſpicilio uſus ſit hic Sapiens in obſervatione Aſtrorum, ipſorumque motuum; cum hæc doctrina à communi tam Antiquorum, quàm Recentiorum toto Cœlo diſtet. Magnus quidem labor laude dignus, ſed novæ Methodi pompa non ſatis firmo adhærens ſuſtentaculo, timeo, ne veritatis acceſſu, Profeſſorumque firmis rationibus evaneſcat in umbram; ſed Zoilus, ſi meliora quærit, promat ſua.

Urbium

Urbium si vera dantur principia, futura ex ipsâ constitutione deduci possunt: si desint, sunt Orbes magni, conjunctiones magnæ, Eclipses, & alia de quibus infra, præsertim verò Stellarum Verticalitates, quæ loci latitudini (si tamen vera haberi potest) accommodantur: hoc non unico docuit experientia exemplo. Si adest etiam Principis Genitura, ex ipsâ multa deducuntur, hinc non sine ratione dixit Cardanus, quod Genituræ validè Regna mutant. Observamus in Genitura Caroli Primi Angliæ Regis, caput Medusæ fuisse in octava in opposito Solis, Luminariaque in signis violentis, exitumque habuit infelicem. Posita ergo (ut ab omnibus conceditur) Stellæ declinatione, si correspondet elevationi Poli Regionis, tunc dicimus esse supra Verticem illius: caput autem Medusæ nunc non potest esse Angliæ Verticale, nam plus quam mille anni requiruntur, antequam tale sit; ex hoc ergo deducitur, quod ex ipso tantum excidium Angliæ evenire non potuit: ego autem ne in foveam cum aliis incidam, Stellarum supputatione utor, hæcque à periculo me sublevat.

Positâ caudæ Ursæ supra à Cardano significatione, invenio ultimam caudæ ejusdem fuisse cum Marte, in Ascendente Henrici Octavi Anglorum Regis, & paulò post annum 1.5.30. incœpit fieri Angliæ Verticalis, & quia Jupiter in Geminis in Cœlo medio, in suo detrimento affligebatur quadrato Martis, Venusque erat cum cauda Draconis, in nona Religionis cum Aldebaran, legem mutavit, & fit caput Angliæ anno 1.5.34. & Stella Imperium constituit nulli subjacens, quod non solum demonstratum fuit tale, nam & fœminæ, una post aliam, imperarunt, & licet Religio Catholica ope Mariæ (quæ nupsit Philippo Hispaniarum Regi) Angliæ restituta fuerit anno 1.5.54. usque ad annum 1.5.59. tantùm perduravit: nam post mortem ejus, eo anno secutam, Elisabeth ad errores pristinos Anglos reduxit, imperans annos 44. cui successit Jacobus Sextus

Rex Scotiæ; cujus initia infælicia fuerunt; deinde 1.6.25. Carolus ejus filius usque ad ejus obitum anno 1.6.49. Manifestum ergo est, quod hæc Stella post annum 1.600. incœpit paulatim à Vertice deflectere, ita ut in anno mortis Regis solum retineret gradum 51. cum minutis septem. Sic ergo Stella, quæ fuit in Ascendente Henrici Octavi, perpendiculariter Angliæ insistens, in Genesi Caroli fuit in duodecima loco Cœli abjecto, & sicut illa indicavit in Regno mutationes, cum factum fuerit à Romanâ Ecclesiâ independens, in isto à Vertice recedens infaustum demonstravit finem Regis & Regni: & hæc de ultima Stella.

Penultima ejusdem caudæ, Scotiæ & Hyberniæ Regnis Angliæ adjunctis, quorum latitudo gr. 57. non excedit, erat his Regnis Verticalis, & dum anno 1.6.03. talem haberet Stella declinationem, Regnum Scotiæ transit ad Anglos, & Jacobus Sextus coronatus titulo novo Regis magnæ Brittanniæ: dum ergo à Vertice Scotiæ deflectere incipit, rumores initium habent à Regno Scotiæ in anno 1.6.39. qui tandem exitum habuêre infelicem, ut Historiis notum est. Angliæ autem hoc tempore incœpit fieri Verticalis, lucida capitis Draconis magnitudinis tertiæ, de naturâ Saturni & Martis, parum Jovis, & hæc fuére initia dolorum, usque ad annum 1.6.60. paulò ante hunc annum fit Horizontalis, lucida Lyræ magnitudinis primæ, de naturâ Veneris & Mercurii, Verticalis verò Canobus in Argonavi magnitudinis primæ de naturâ Saturni & Jovis; & Carolus Secundus in Regem eligitur 1.6.60. sed conspiratio ante coronationem non defuit, quæ tamen detecta fuit: cum autem hæ Stellæ super Londinum ultra 1.7.20. circiter sint duraturæ, cum varios habeant influxus & belli & pacis, tumultus & quietis, videat ergo Anglia quid agat; post annum 1.6.60. Scotiæ, Hyberniæ & Landiæ incipit fieri Horizontalis, inferior ala Cygni, magnitudinis tertiæ de naturâ Veneris & Mercurii, ferè usque ad 1.7.50. duratura, quo tempore Antepenultima caudæ Ursæ majoris, & lucida

Cathe-

Cathedræ Cassiopeæ magnitudinis tertiæ, de naturâ Saturni & Veneris, fiet Verticalis, unde à quiete ad tumultus facilis erit transitus, non tamen sine Dominii mutatione.

Caput Medusæ tertiæ magnitudinis, de naturâ Saturni & Jovis, factum Verticale Lysbonæ Portugalliæ paulò ante annum 1.6.40. tumultus in illo Regno excitavit, adhuc super Verticem est, & Portugallia plorabit, nam ante hujus sæculi finem circa 1.700. peiora consurgent ex ingressu sinistri Humeri Bootæ, magnitudinis tertiæ de naturâ Martis & Saturni.

Cardanus loco supra citato de Stellis Verticalibus inquit: cum caput Algol peragravit Asiam minorem & Græciam, in annis fermè 400. destruxit eas Provincias usque ad extremum, & desertas & oppressas à Mahumethanis reddidit, nunc autem invasit Italiam, est enim perpendicularis super Apuliam & Neapolitanum Regnum: utinam nobis nihil ferat nocumenti. Hæc scribit anno 1.5.37. dicens, quod die 29. Novembris certificavit, Venerem ferè junctam in longitudine cum luminosiore Lancis Australis; addit postea: Constat igitur loca Stellarum fixarum esse, qualia hic posuimus: hæc Cardanus.

Ex historiis nihil habemus de ruinâ hujus Regni vel Apuliæ; Solum in anno 1.5.55. die 13. Junii 120. Triremes Turcarum ingressæ sunt Bajanum Sinum, & rapinis lacesserunt Massam & & Surrientum; & aliqua pauca acciderunt anno 1.5.54. eodem mense sub Barba rubea à Prorege fugato: constat ergo, malè supputasse Stellas Cardanum: nam post centum circiter annos, Argolus describens Stellarum longitudines in anno 1.6.40. in suo Pandosio, capite de Stellis Verticalibus, hæc habet de capite Medusæ: Fit hæc Stella nunc Verticalis principio Regni Neapolitani & Siciliæ; quæ contingent, Deus scit; mala portenduntur, faxit Dei benignitas contrarium. Quis ergo de errore est arguendus? verè in anno 1.6.47. rumores in Panormo, Civitate Siciliæ incœperunt, ast statim sedati sunt; sed aucti in Regno Neapolitano, & non multum post sedati, ut notum est. Caput

ergo Medusæ fuit Verticale Portugalliæ, non his Regnis; quæ autem Stellæ fuerunt Neapoli Verticales, hæ sunt: Prior & posterior Hædorum in Aurigâ, de naturâ Martis & Mercurii magnitudinis quartæ, sed informis Hælicis circa caudam magnitudinis secundæ, de naturâ Martis potens, quantum caput Medusæ tumultus excitavit, qui quidem sedati sunt paulò post, ex ingressu sinistri pedis Andromedæ, magnitudinis secundæ de natura Veneris, quæ quidem Stella Madritum Hispaniæ ingressa, ante annum 1.6.60. & duratura, denotavit pacem & quietem, quæ secuta est. Sic inter elevationem Poli, Neapolis & Madriti pauca reperitur differentia, est enim ferè eadem latitudo inter gr. 40. & 41.

Candiæ Insulæ latitudinem tribuit gr. 36. Georgius Trapezontius in eâ natus, cui magis fidem præsto, sed excedere per aliquot minuta existimo, ex causis eventuum in illâ. Post annum ergo 1.6.43. quinque Stellæ Verticem Cretæ ingredi cœperunt. Argonavis in Carinâ puppis Australis Mag. 3. de natura Saturni & Jovis. Aculeus seu cauda Scorpii magnitudinis tertiæ, de natura Mercurii & Martis. Nebulosa sequens aculeum Scorpii de natura Martis & Lunæ, & Stella in poplite pedis posterioris Lupi, magnitudinis tertiæ, de natura Saturni, & parum Martis: & verè venit anno 1.6.45. die 24. Junii ex improviso Lupus, & statim devoravit Caneam. Quinta Stella est lucida informis circa Canem, magnitudinis secundæ, de natura Veneris; cum autem hoc tempore illæ quatuor recedant, hæc autem super Verticem per totum hoc sæculum, & ultra 1.7.10. duret, spem ergo affert, quod Lupus non deglutiet eam; hinc arguendi sunt illi, qui ponunt Candiæ medium ad gr. 34. 45'. nam post annum 1.6.41. factum est Verticale, sinistrum Crus Persei magnitudinis quintæ, de natura Saturni & Jovis, & informis lucidarum præcedentium circa Canem magnitudinis secundæ, de natura Veneris; cum autem hæ Stellæ eandem ferè habeant declinationem, huic latitudini correspondentem, & mala totq; ruinæ in Creticum Regnũ influere non possint, sed potius bona, ut ex ipsorum natura maximè ex

mè ex illâ Veneris patet, fatendum est, Cretæ veram latitudinem esse illam, quam posuit Trapezontius cum observationibus nostris corrigendam.

Hinc bellum Cretico-Venetum ortum est, quod non ex sola conjunctione in Piscibus in anno 1.6.43. per Astra fuit demonstratum, sed ex Stellis super Verticem propriæ Regionis. Hinc scripsit Argolus in suo Pandosio, capite de Stellis Verticalibus: Culminabit de propinquo Stella Borealis in sinistro pede posteriori Ursæ majoris, natura Martis, & ad Martialia Rempublicam propellet, & duratura: Sed tanti Viri pace dico, quod Stellæ declinatio in anno 1.6.40. completo erat gr 44.42'. Poli Venetiarum elevatio est gr. 45.18. quomodo ergo poterat esse Verticalis? sed hæc Stella fuit Horizontalis, nam subtracta declinatione à grad. 90. remanet exquisita Poli elevatio: at Vertici Venetiarum fuit magis Verticalis dexter numerus Aurigæ, secundæ magnitudinis, de natura Martis & Mercurii, cum declinatione Boreali gr. 44 52'. & quò magis appropinquat ad sæculi finem, eò magis fit Vertici propinquior, & cum Venetiarum Ascendens innotescat, Stellæ quædam de natura Martis, Mercurii & Saturni post annum 1.6.43. ad ipsum pervenerunt, & adhuc durant, & hæ omnes sunt in Cancro. Non ergo mirum est, si tam diuturnum sit bellum, cum hæ Stellæ sint tardissimi motus, & tot causæ assignatæ ipsum producant.

Stella Australis in sinistro pede posteriori Ursæ majoris, magnitudinis quartæ, de natura Martis, incœpit paulatim accedere Vertici Bizantii, post annum 1.6.62. & nova bella resurgere fecit, à Vertice autem recedet ante annum 1.6.80. scripseram hanc Stellam fieri postea Genuæ Italiæ Verticalem, sed litteræ, mihi ab Amplissimo Senatore Joanne Bernardo Veneroso transmissæ admonuerunt, Latitudinem Genuæ esse diversam ab illa, qua ponunt omnes, nempe gr. 43,12'. Maginus 43.50'. & solum veritati correspondere illam Muntebruni Genuensis, quam observarunt alii, & per consequens prognosticum meum, posita falsa latitudine, erit falsum: sed me hercle,

Incidit

Incidit in Scillam, cupiens vitare Charybdim.

nam Stella, quæ ab Argolo posita fuit Venetiis Verticalis, nempe Borealis in sinistro pede posteriori ursæ majoris, magnitudinis quartæ de naturâ Martis, Venetiis non est amplius Horizontalis, sed paulatim Vertici Genuæ accedit, ideo si cum latitudine existimata, posui Verticalem Stellam Australem ejusdem ursæ, nunc cum sua latitudine observata Stella Borealis à Vertice parum distat: hujus enim declinatio in anno 1.6.64. est gr. 44.35'. & cum semper minuatur, magis fit Vertici vicina; sed ut ejus observatam latitudinem magis veritati correspondere videant, hæc supputatione reperio, ab eventibus comprobatâ. Anno 1.6.53 fit Horizontalis Capella Hircus magnitudinis primæ, naturâ Martis & Mercurii, & incœpit belli initium in Hispanum Regem, quod tamen paulò post quievit, & conjurationes quorundam Nobilium (quorum nomina tego) feliciter detectæ sunt. Eodem tempore incœpit fieri Verticalis superior ala Cygni magnitudinis tertiæ, naturâ Veneris & Mercurii, unde mala bonis mixta observarunt, & experti sunt. 1.6.56. peste sævissima Genuenses afflicti, altera calamitate subsequente, propter rem pauci momenti, quæ evenit cum Triremibus Melitensium (ut dicunt) ab illis non bene perceptam, nec à Genuensibus unquam excogitatã, inaudito hujus Religionis decreto, Nobiles dignitatibus abdicantur, & illis imposterum prohibetur ingressus. Horizontalis ergo Capella incipit paulatim recedere, quæ fit Verticalis: quid novi sit allatura, exemplum habent, ultra non addam. Verum tamen est utramque Stellam, tum illam naturæ Martis, tum aliam naturæ Veneris & Mercurii, per totum hoc seculum, supra Verticem esse duraturam, sed Martialis incipiet prius recedere, unde si experientia constat Martem à Venere vinci, ergo ab omni spe animus non est abducendus.

Frustra Galle cupis, frustra es frustrator Ibere;
frustra sæva ferox Insuber arma capis.

Subje-

Subjectis domitas tenui cervicibus Alpes,
& tremuit nostras Africa terra trabes.
Vinco ego dum vincor, par est Victoria damno:
sumque eadem Domina, servaque facta mea.

Thuneto fiet quam primùm Verticale superius caput Geminorum, Castor Apollo dictum, magnitudinis secundæ, de natura Martis, Mercurii & Saturni, cum nunc exeat de Vertice inferior ala Cygni, de natura Veneris & Mercurii: hinc ad arma excitabitur. Sed de his satis.

Quarta causa generalium Mutationum, est mutatio Absidum Planetarum de signo in signum; mutantur enim Regna, Dominia & Sectæ, dum mutantur Auges Planetarum, maximè illarum gentium, quarum significator fuit Planeta Augis permutatæ, sed mutatio est aut ad bonum, aut ad malum, juxta naturam superiorum significatorum illorum temporum, & naturam signi mutationis.

Secta Mahomethi, quæ in Triplicitate aqueâ ortum duxit, & Orbem cum armis Saracenorum velociter peragravit, adveniente igneo Trigono labescere cœpit, usquequo rediit aqueum, tunc temporis ex ingressu Absidis Solis in Cancrum roborata est, & in hoc sæculo ex Abside Veneris in Cancrum: sed doctus ille Cardanus in suo Quadripartito pag. 281. sic habet: similiter à 200. annis circiter facta est permutatio Absidis Solis & Veneris, in primum punctum Cancri, qui est punctus Tropicus, & Trigonus Sectæ Mahomethanæ, ideo significavit incrementum magnum illius: sed bonus iste Astronomus non videt, quod Absidis Solis in Cancrum ingressus fuit circa annum 1.2.68. & Veneris anno 1.6.16? dum ergo per ingressum Absidis in Cancrum roborata est, per contrarium signum Capricorni destruetur; hinc credidit Spina cum cæteris in sua Catastrophe, Absidis Saturni mutationem fuisse anno 1.6.30. unde hujus Sectæ interitum prædixit: sed iste vir cum cæteris toto Cœlo aberrat, sic Campanella

ordinis Prædicatorum, ex hac Abſide expectabat Antichriſti prædicationem: at non vident iſti, quod hæc Abſidis mutatio non erit niſi in anno 1.7.54? quo tempore Secta hæc erit virium infirma, & prope obitum, hæc autem Abſis peſtem afferre ſolet, augendo ſiccitatem & frigiditatem, aliaque mala de natura Saturni.

Hieronymus Cardanus loco ſupra citato aſſerit, quod inter 1.600.& 1.800. Abſis Jovis tranſibit in Libram, quo tempore fiet mutatio Legum, cui nunquam fuit ſimilis, & conſurget una nova Lex, & cum his alia multa; ſed res non ſic ſe habuit, nam tranſitus Abſidis Jovis in Libram fuit circa annum 1.1.24. & ſic illius Vaticinium, & tempus mutationum abierunt in fumum. Addit eodem loco: Ex hoc facile eſt intelligere, cur litteræ tantum habuerint incrementi à centum annis citra, quia cum centum annis mutata eſt Abſis Mercurii ex Virgine in Libram: ſic vir iſte plusquam eruditus. Anno 1.5.75. Abſis Mercurii de Scorpione Sagittarium eſt ingreſſa, unde eloquentia, Mercatura, Artes & Scientiæ augumentum maximum ſuſceperunt, ſic Tycho in Dania Aſtronomiam reſtauravit, floruit Galileus in Hetruria in ſcientia Syderum, ſic alii in aliis. Ex hoc manifeſtè apparet, quantus ſit error Cardani & in annorum differentia, &, quod peius eſt, in ſigno.

Ultima Abſidum mutatio fuit illa Martis de Leone in Virginem anno 1.6.53. Spina autem lib.2. Maximarum conjunctionum pag. 110. ponit in anno 1.6.70. hanc Abſidis mutationem, & Regiones ſubditæ Virgini effectus expertæ ſunt.

Dicunt ergo, quod, dum Planeta in Abſide eſt, majores effectus tardius operatur, in ejus oppoſito celeriores & minores, in mediis longitudinibus mediocres, quod eſt obſervandum.

Quinta eſt mutatio Obliquitatum tam in excurſu Solis, quam Planetarum; hæc declinatio Orbitæ Solis ab æquinoctiali variè obſervata eſt, juxta temporum interſtitia, ut anno 3.400. à mundo condito in gr.23.52′.1″4. Ariſtarchus Samius anno 44.

ab-

ab obitu Alexandri Magni gr.23.51'.20". quem secuti sunt Eratosthenes, Hipparchus; deinde Ptolomæus post Christum anno 139. Mahumed Aratensis & Albategnius anno Christi 880. gr. 23.35'. Arzachel Hispanus 1140. gr. 23.33'. Praphatius Judæus 1300. gr. 23.32'. Peurbachius 1460. gr. 23.28'.28". Copernicus 1515. gr. 23.28'.34". Tycho circa annum 1585. gr. 23.31'.30". sed Andreas Argolus Mathematicarum Professor in Patavino Lycæo, litteris mihi transmissis 1654. asserit maximam declinationem esse gr. 23.30. quæ fuit illa Regiomontani, quam Viri Celebres commendarunt, & cum hac Tabulas Primi Mobilis construxit, unde vana est illa Copernici & aliorum. Hæc verò Eclipticæ obliquitas fit invariabilis anno 1682. gr. 23.30'.0". quando enim stringi incipit obliquitas, populi Septentrionales in Meridionales excurrunt. Putat tamen Copernicus, quod reversiones obliquitatis sint faciendæ, sed fallitur; nam semper Planetæ descendunt, & obliquitas stringitur, donec mundi machina concidat, sic Sol terræ fit propinquior, & obliquitas erga Tropicos decrescit, prævenit enim æquinoctia & solstitia, quia circulos angustiores describit; cum enim Sol altissimus erat, prævaluit Religio, & Jus super Reges Sacerdotibus fuit, dum verò cœpit descendere, Religio & Imperium in Ægyptios & Babylonicos secessit versus Polum Borealem, quo tempore Italiam, Siciliam & Germaniam sylvestres homines incolebant, cum verò continuò magis descenderet, aruit Ægyptus, & Imperium in Medos magis Boreales transiliit, & Religio in Judæos Occidentaliores; semper enim ab Ortu in Occasum, & à Meridie in Septentrionem itum est, postea ad Persas Imperium, & ad Palæstinos Religio, ab his in Græcos & Macedonas, deinde à Tyriis ad Carthaginenses, ab his ad Italos & Romanos, deinde ad Gallos, à Gallis ad Germanos, postea ad Hispanos deventum est.

Demonstrant hoc etiam Anomaliæ, quamquã Tycho non concedat, & Copernicus ab Hipparcho ad nos unam tantum observavit, hæ enim modò tardæ, modò veloces Regnorum vel

incrementum, vel decrementum proportionato tempore disponunt; sic Babylonicum Imperium, quod in tarditate Anomaliarum incœpit, diutissimè duravit, sic Romanum, sub quo natus est Christus. Caroli verò Magni Monarchia, quia cœpit sub velocitate Anomaliæ, diu non prævaluit, etsi velociter se erexerit; Mahomethanæ autem Sectæ Anomalia favebat, quamquam sub igneo Trigono elanguere cœpisset, roborata postea Abside Solis: sequens autem Monarchia longo tempore durabit, eritque Ottomannorum exterminium, & gloria Christi.

Sexta causa sunt Stellæ novæ in Octavo Orbe, hæ enim novo quodam portento in Cœlis apparent, significatis maximè notabilibus dominantur in terris. Stella sub Hipparcho visa, Imperium Græcum in Romanum transferri significavit, sic illa, quæ Christi Nativitatem præcessit, bella, mortes, sanguinis effusiones, & alia hujusmodi demonstravit.

Alia sæculo præterito visa est circa finem Novembris anni 1.5.72. cujus duratio fuit usque ad 1.5.74. in Sede Cassiopeæ semper immota, cujus longitudo respectu Zodiaci fuit gr. 6.54'. Tauri cum latitudine Boreali gr. 53.45'. respectu verò Æquatoris gr. 0.26'. Arietis recta Ascensio, medians Cœlum cũ gr. 0.29'. Arietis, cum declinatione Boreali gr. 61.45'. hanc direxit Tycho per gradus Zodiacales ad maximam conjunctionem Anni 1.5.83. & directio pervenit anno 1.6.32. circiter. Sumpserunt ergo exordium directionis effectus à Gustavo Suetiæ Rege, quando fuit Germaniam ingressus, hæc enim Stella erat Verticalis Suetiæ & Moscoviæ, & effectus usque adhuc visi sunt & durant, quia in Tauro signo fixo.

Alia fuit in pectore Cygni anno 1.6.00. quæ usque ad annum 1.6.29. fulsit, & ejus locus fuit in gr. 17. Aquarii.

Tertia 1.6.04. circa principia Octobris, & fulsit usque ad annum 1.6.06. in gr. 17. Sagittarii, hæcque fuit in Medio Cœli Genesis Pauli Quinti, & in anno 1.6.05. dedit ei Pontificiam dignitatem.

Hæ au-

Hæ autem Stellæ, per quosdam anfractus annorum Criticos, quos Climatericos vocant, effectus in lucem producunt, & usque ad tertium quadragenarium ab ejus ortu, virtutem conservant: illa enim Hipparchi post annos 83 produxit effectus: in primo quadragenario per suos numeros Criticos materiam disponunt, & effectus debiles pariunt: in secundo, cum sint in vigore, potentius agunt: in tertio paulatim robur & vires amittunt.

Prima, quæ in principio fuit coloris albicantis instar Jovis, in fine in Martialem fulgorem degeneravit, in secundo quadragenario produxit effectus deplorabiles, quos experta est Germania, Suetia, Polonia, Russia, Moscovia, Asia minor, Archipelagus, & aliæ. Secunda & tertia est in vigore, & effectus usque adhuc visi sunt in Tartaria, Vallachia, Dania, Sarmatia, parte Suetiæ, Dalmatia, Ungaria, Sclavonia, Anglia, Hispania, Gallia, aliisque: sed nova bella resurgent, maxime adjuta à conjunctionibus in igneo Trigono futuris.

Sunt & Cometes, qui minores & minus diuturnos effectus novis Stellis habent, mortem Principum, Revolutiones Imperiorum, pestem, bella, ruinas ut plurimum demonstrant; de his Hermes Trimegistus in libro de Providentia & Fato, capite de Stellis hæc habet. Aliud est genus ô Fati, id quod vocatur Cometarum, qui pro tempore apparent, & rursus paulò post invisibiles fiunt, neque occidentes, neque dissoluti: alii verò manifesti præcones fiunt universalium eventuum, qui sunt futuri, isti verò locum habent sub Solis circulo; cum igitur aliquid Mundo est eventurum, isti apparent, & paucis diebus apparentes, rursus sub Circulum venientes Solis, invisibiles manent, in Subsolano cum apparuerint: alii verò in Borea, alii in Lybe, alii in Noto, Prophetas autem hos vocamus, & Stellarum quidem hæc est natura: hæc ille.

Locus generationis horum est Cœlum & Regiones æthereæ, itaque ex partium ætheris constipatione (cum hæc materia

ſit diſſipabilis & condenſabilis) vel ex halitibus & expiramentis, tum Solis tum aliorum Planetarum, aliquando produci poſſunt. Producti à Sole illuſtrantur, qui dum corpus Cometæ ingreditur, in adverſam partem radii protenduntur, hinc cauda vel coma oritur; ſi verò materia hujus nimis denſa fuerit, abſque caudâ & crinibus Cometes apparet: varii colores in ipſo conſpiciuntur, quod ex majori vel minori materiæ compactione oriri ſolet; hinc ſi nimis denſa eſt ejus materia, à luce non penetratur, obſcurus & pallidus apparet, è contra, ſi minus denſa & rara; horum apparitio, ut plurimum, eſt in Septentrione, & prope viam lacteam, cum ibi reperiatur materia pro horum generatione inſerviens: intra Tropicos non producuntur, cum à Solis viciniâ generatio impediatur, alibi verò gigni poſſe non contradico: feruntur modò ſecundum ordinem ſignorum, modò contra, & præter Primi Mobilis motum, alios peculiares habent ex Occidente in Orientem, ex Auſtro in Boream, & è contra, modò tardè, modo velociter; immobiles etiam fuiſſe refert Plinius, quæ omnia ſunt obſervanda.

Cum autem Deus & Natura nihil agant fruſtra, & Cometæ ſint ſigna Iræ ejus, ſicut alia prodigia in Cœlo, ut legitur lib. 2. Machab. cap. 5. de equitibus armatis per aërem diſcurrentibus per quadraginta dies ſuper Hieruſalem, hinc veriſſimum eſt illud, nunquam Mundo ſpectatum impunè Cometam, de quorum apparitione & effectibus aliqua annotabo.

Quando primus apparuit Cometes, nulla extat hominum vera obſervatio, ſed ego ante Diluvium varios fuiſſe pro certo teneo, ſi ergo ante, quantò magis poſt: annotant aliqui ſub anno 3.4.83. primum obſervatum, tempore quo lapis à Sole ad Ægos flumen decidit, quod Anaxagoras futurum prædixit; ſed Hermes, qui Moyſi fuit coætaneus, ſed paulò ſenior,

de ipſis

de ipsis (ut supra dixi) loquitur, & Hebræorum Sapientes in Talmud, tractatu Beracoth cap. 9. quod dicitur Perech harohe, de ipsis apertè loquuntur, quem quidem locum, cum neque ab Astronomis, neque ab aliis unquam observatum legissem, huc explanare placuit.

Quærunt, quid sit Zichin? respondet Samuel. Cocavæ dessavit. Commentator autem declarat, quod sunt Stellæ, quæ jaculantur fulgura ab uno loco ad alium, postea addit Samuel: mihi viæ Cœlorum innotescunt, sicut viæ de Nardenha (hic est locus ubi Samuel præsidebat) solum Stellam dessavit, quid sit, ignoro; pro certo habemus, quod non transit Chislha, id est Arcturum, nam si hoc esset, periret mundus. Nunc arguit Auctor Talmud: videmus, quod ipsa pertransit Arcturum. Respondet, ejus radii evanescunt, & nobis videtur quod ipsa evanescit. Rabbi Huna filius Josue ait, Zichin est ut velum, quod scinditur, in cujus medio conspicitur Firmamenti claritas & splendor. Rabbi Asse tenet, quod Cometes sit quædam Stella, quæ ab Arcturo discedit, & ejus socius (id est Orion) ex aliâ parte videt & timet, & videtur quod evanescat. Auctor Talmud quærit, quid sit Chima, id est Orion. Samuel dicit, quod sit sicut centum Stellæ simul junctæ; alii verò tenent, quod sit sicut centum Stellæ, quæ una ab aliâ raritate distinguitur: ideo quando Deus aquis Mundum perdere voluit, duas ex Orione Stellas abstulit, & sic cataractæ Cœli apertæ sunt: postea Auctor Talmud addit, nonne poterat Deus alias duas creare, & non fecit, ideo nihil sub Sole novum? hæc Talmudistæ. Sed ad nos, & ad primum observatum Cometem descendamus.

Dum Xerxes Darii Filius, Persarum Rex, decimo anno post prælium, quod suscepit Pater in Athenienses, ad Marathonem, innumerabili cum exercitu veniens, allaborat to-

tam

tam Græciam sibi subjugare, apparuit Cometa Ceracias dictus, ad instar Cornu obliquus, Athenienses verò, Themistoclis consilio, hostem ad Salaminam Insulam prælio vincunt, Xerxes turpi fugâ domum reversus, cum in contemptum postea venisset, ab Artabano, gravissimo scelere, interfectus est.

Bellum Peloponesiacum; Excidium Atheniensium in Sicilia; destructionem Lacedemonum per Thebanos semper præcessit Cometa.

Notat Aristoteles, quod tempore illius magni terræ motus in Achaia, quo Urbes Elice & Biris submersæ sunt, Cometes apparuerit in æquinoctio Verno, mense Martio; & Athenis imperante Milone, circa Tropicum Capricorni.

Tempore, quo nascitur Mithridates, Cometa maximus apparuit, qui quartam Cœli partem sic occuparat, ut totum undique ardere videretur; duravit dies 80. ferunt hujus splendore Solis Lumen propemodum torpuisse. Hinc mors Scipionis, Hannibalis, Celtiberorum cædes in Hispania, bella civilia inter Marium & Syllam orta sunt.

Sub Demetrio Syriæ Rege, visus est Cometes igneus orbicularis, qui magnitudine Solem æquabat, nocteque instar Solis splendens: ante bellum Achaicum subsecutum est excidium Carthaginis miserandum, quo funditùs deletæ fuerunt Urbes Græciæ Corinthus, Tebæ, Chalcis cum aliis.

Caii Julii Cæsaris mortem per dies centum præcessit fulmen, percutiens Cæsaris nomen, litteram C. delevit, quæ Centum sonat, remanens æsar, quod Deum significare dixerunt Aruspices Idiomate Hetrusco, & ideo affirmarunt, quod post centum dies Cæsar in numero Deorum erat asscribendus; res voto successit, nam ipse à conjuratis confossus est, cujus mortem comitatus est Cometa, qui tandem in honorem Cæsaris in Nummismate sculptus fuit.

Anno Urbis conditæ 7.52. Imperii Augusti 42. candidus apparuit Cometes, in quo erat Imago candidissimæ Virginis puerum

puerum gremio complexæ, quam ostendisse referunt Augusto Sybillam Tiburtinam his verbis. *Hic puer te major est, hunc adora*; dubium autem est, an tunc natus erat Salvator, aut erat oriturus: Ego autem credo fuisse natum, & tali modo Virginem cum puero in Cometa apparuisse; natus ergo erat puer, quem mater rapuit & Cometæ inclusit, aufugiens à manibus impii Herodis. Cometes autem hic tandem in martialem fulgorem degenerans, Innocentum stragem significavit, ipsiusque Herodis mortem condignam, nam hydrope affectus, scatentibus toto corpore vermibus, miserabiliter dies clausit.

Hoc loco non possum ab errore magno excusare Cardanum, qui in lib. 2. Quadrip. textu 54. hęc habet: cum Servator noster natus est, Cometes apparuit in Oriente, quem Magi viderunt, atque ob id ad ipsum adorandum venerunt: hanc Stellam vocavêre tum communi nomine, quod Cometes Stellæ vocentur, tum, quod pulcherrimus esset, atque his similis, quæ in nocte lucent; hic seditionem & turbas, quæ per fidem Christi promulgandam successêre, pronunciavit, tot exilia, tot martyres, inde Regnum pacis constituendum atque salutis, cujus quidem author atque Rex Christus in ipso Cometæ fulgore natus est, quod Cometes in Oriente apparuerit: verum tamen effectus ipsius, scilicet prædicatio, Legis promulgatio, seditio populi, conturbatio, persecutiones, exilia, mortes, bella, regna nomine Christiano inchoata, vix post triginta annos initium habuêre, & ab hanc usque diem perseverant: hæc ille.

Stella, quæ in Oriente apparuit Magis, quâ duce Judæam petierunt, non erat de genere Cœlestium syderum, aut de novo productorum, aut Cometa: fuit quidem solius Dei opus, & extra omnes naturæ leges, & Angelum sub formâ Stellæ antiqui Patres non sine ratione crediderunt; nam hæc Stella solum à Magis videbatur, eosq; sequebatur, donec in Judæam pervenerunt ad adorandum puerum: Judæos enim illam non conspexisse clarum est, & cæcus non erat Herodes, ut illam videre nequivisset,

imò de ipsâ hæc Nicephorus ſcribit : quod in Oriente Magis primùm viſa fuerit, ut Palæſtinam petentes præcederet : tamen aliquamdiu poſtea diſparuit, quoad Hieroſolymis Regem fruſtra quærebant, admonitis verò Bethlemam petendam, juxta Prophetarum Oracula, ſtatimque illic proficiſcentibus, denuo eadem apparuit & præluxit, donec ſupra domum, in quâ Rex æternus, Infantuli humani ſpeciem indutus, viſibili formâ cerneretur, pervenit, ubi etiam conſtitit, loci petiti jucundus & indubius Index : ſed Matthæus in Evangelio apertè loquitur, nam Herodes clam vocatis Magis diligenter didicit ab eis tempus Stellæ, qui, cum audiſſent Regem, abierunt, & ecce Stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, usque dum veniens ſtaret ſupra, ubi erat puer, videntes autem Stellam, gaviſi ſunt gaudio magno. Ex hoc ergo apparet Stellam, quam viderunt in Oriente, non fuiſſe reliqui itineris ducem, alioquin eâ viſâ non gaviſi eſſent; hinc deducitur fuiſſe Dei opus & miraculum majus: hæc poſtea Stella ſtatim diſparuit, & Magos in Regionem ſuam non comitata fuit. Cum ergo hoc veriſſimum ſit, manifeſtè apparet error inexcuſabilis Cardani, imò magis falſitas prædictionum ex ipsâ, nam hanc vocans Cometam, de illo ſub Auguſto, ex quo prognoſticum condere poterat, nihil refert.

Anno Chriſti 13. ferè completo apparuit Cometes, & Romæ ſtatus mutatur, & anno 16. die 19. Auguſti, Auguſtus dies clauſit, ætatis. 76. Imperii 56. anno.

Anno 62. maximus apparuit Cometes luminaria adæquans, qui per ſex menſes perduravit, & anno ſequenti 73. millia Romanorum ab Anglis trucidantur, ſed paulò poſt 80. millia Anglorum eandem ſortem experiuntur ſub Suetonio. Roma anno 66. per ſex dies igne conſumitur. Anno ſequenti conſpiratio in Domitium Neronem falsò Chriſtianis aſſcripta, qui mirabili ſtrage variis tormentorum generibus enecati ſunt, poſtea bella civilia exarſerunt, & de ipſo Senatus decrevit, ut more ma-

jorum,

jorum, collo in furcam conjecto, virgis ad necem cæderetur, sed Nero semet ictu gladii transegit, Sporo eunucho coadjuvante, ætatis anno 32. Christi 69.

Anno 68 Cometa Xiphias in Judæa cernitur, die Azimorum, qui per annum integrum duravit. Cometa autem non fuit, quamvis Josephus lib. 7. de bello Judaico, hoc nomine appellet eum, sed fax in formam gladii; quæ non longè remota erat à Vertice Hierosolymæ, & si talis non fuisset, etiam alias Judeæ partes indicasset, duravit etiam ultra Cometarum periodum. Ostentum ergo fuit, à Deo ita missum, prænuntians excidium Hierosolymitanum, quod secutum est, anno secundo Principatus Vespasiani, per Titum ejus filium, die 8. Septembris anno 73. interfectis Judæorum undecies centum millibus, & venditis 80000. reliqui fugerunt, & sic Romani Judæam penitus destruxerunt.

Anno 79. crinitus Cometes apparuit, de quo subridens Vespasianus (cum jocosus esset) dixit attinere ad Regem Persarum, cui capillus effusior, deinde anno sequenti, ventris ingluvie fessus assurgens, stantem, ait, Imperatorem excedere terris decet, & die 24. Junii obiit. Titus autem filius, quinto suo Consulatu, de hoc Comete, carmine præclaro cecinit, & successit in Cæsarem Patri: tres Civitates Cypri terræmotu corruerunt, & postea secuta est pestis: deinde mortuo Tito, anno secundo Imperii cum mensibus fere tribus, successêre nefanda Domitiani tempora.

Anno 337. Cometa insolitæ magnitudinis per aliquot menses durans, Constantini Magni mortem prænuntiavit (hic enim transtulit Occidentale Imperium ad Orientalem Regionem) bella, calamitates & seditiones ortæ sunt propter divisionem Imperii in tres filios; & secta Arriana, multis in locis, Ecclesiam turbavit, à Constantio protecta contra Athanasium, sed non multò post Arrius pœnas accepit condignas; nam ab Episcopis & multitudine populorum stipatus, dum laxare

alvum intendit, inteſtina miraculosè tota deſcendunt, & anima tartara petit.

Anno 3.68. Cometa apparet, & terræ motus ingens totum terrarum Orbem concutit; unde mare littus egreſſum, Niceam aliasque Urbes, & innumerabiles populos aquis perdidit.

Anno 4.10. Cometa in Leone obſervatus, & Italia, ſub Radagiſo Gothorum Rege, opprimitur; quo mortuo ſuccedit Alaricus, qui Romam expugnat & incendio vaſtat, die 9. Septembris: poſtea Siciliam petens repente moritur.

Anno 5.33. Cometes viſus: multa mala ſecuta ſunt, terræ motus, peſtis, ſeditiones. Juſtinianus Imperator ſponte ſe Pontifici ſubmittit; Europa, Aſia & Lybia à ſe ſubjugatis, pacem Orbi reddidit. Anno ſequenti, die 26. Maii, Papa Joannes II, moritur.

Anno 5.89. Cometes fulſit, ſuccedente inundatione Tiberis & aliorum fluminum: ſequitur peſtis, in qua moritur Pelagius II. Terræ motus Antiochiam graviter concuſſit.

Anno 6.04. Maximus apparuit Cometes. Moritur Sabinianus I. PP. anno ſequenti, poſtea in nono menſe Pontificatus, Bonifacius III. Hoc tempore Belgium à Monachis convertitur, & primus ex Hiſpania fugat Mahemethum S. Iſidorus Epiſcopus.

Anno 6.75. Cometes magnus viſus eſt, qui per tres menſes perduravit, ſecuti poſt ipſum innumeri imbres cum tonitruis; inde annona, poſtea peſtis immanis, quæ Longobardiam afflixit, Papiam deſtruxit: multæ in Italia calamitates. Dies clauſis Adeodatus II. PP. die 26. Julii, anni ſequentis.

Anno 6.84. in fine Cometa fulſit, etiam Cœlo ſereno; ſecutæ ſunt mortes Principum, excidia, ruinæ. Benedictus II. PP. decimo ſui regiminis menſe, è vivis diſceſſit, ſic & piiſſimus Imperator Conſtantinus; ſucceſſit Juſtinianus filius juvenis, qui graviſſima bella per Duces feliciſſimè confecit.

Anno

Anno 7.29. per dies quindecim, mense Januarii, Cometæ duo visi sunt, quorum unus Solem antecedebat, alter occidentem vesperi sequebatur: unus ex his Romæ visus, caudâ Septentrionem intuebatur. Secuta sunt bella cruentissima, mutationesque admirandæ. Pestis in Bizantio tollit ter centum hominum millia. Incipit persecutio in Oriente. Gregorius II. PP. evolat in Cœlos.

Anno 7.63. Cometes maximus fulsit; quem excipit magnum frigus, & postea uredo. Prodigiosum gelu Ponto Euxino incubuit cum nive altissimâ: Scribitur à Calendis Octobris ad Februarium, secutos gravissimos æstus. Terræmotus & pestis immanis ferè totam Europam destruxit.

Anno 9.84. magnus in Italia Cometes visus: sequitur fames, pestis & terræmotus. Joannes XIV. PP. fame necatur: Joannes XV. octavo mense regiminis moritur. Beneventum & Capuam fortiter terræmotus affligit, sed ingens in Oriente fuit. Vitâ excedit Lotharius Galliarum Rex 9.86. succedente Ludovico filio.

Anno 10.03. Cometa visus. Quarto mense regiminis, Joannes XVII. dies clausit. Terræ motu multæ Civitates quatiuntur, sequitur ingens fames & pestis: anno sequenti enascitur Hæresis Berengarii.

Anno 10.07. duplex in Italia apparuit Cometes; fames & pestis in Europa, nec non prodigia alia multa secuta sunt: mare exundans multas suffocat Urbes.

Anno 10.66. visus est Cometes, qui effectu non caruit; nam Guilielmus Nortmanniæ Dux, ab Eduardo hæres institutus, Angliam cum exercitu invasit; & Haraldum (qui Regis Angliæ nomen usurpare, & hunc Anglia arcere conabatur) vicit & occidit.

Anno 1.1.65. ingens Cometes, cum duobus longissimis radiis ardens, in Scotia apparuit, & intra 14. dies Malcolmus, Quartus Scotorum Rex obiit. Romam redit Alexander III.

&c hoc anno Longobardi contra Fridericum Cæsarem, bellum incipiunt.

Anno 1.200. Cometes apparuit, cujus pars solida erat rotundæ figuræ, triplo major Venere, cujus claritate totus Orbis illustrabatur, eratque lux ejus, quantum si quarta pars Lunæ luceret, cujus locus fuit in decima quinta parte Scorpii, movebaturque motu Primi Mobilis ab Oriente in Occidentem, ita ut velocius procedendo ferretur contra ordinem signorum, donec pervenit ad decimum quintum gradum Virginis. Successit autem inter Mauros discordia maxima, inde prælia & cædes, & Civitatum, magnarumque Regionum depopulationes, & siccitas aëris, & annonæ penuria, indeque pestilentia maxima, ut mors tum peste, tum fame, tum bello fuerit innumerabilium hominum; excitatusque est hæreticus sive rebellis, qui Regem Mechæ & Hyebot maximis cladibus affecit: hæc Haly Rodoan.

Anno 1.2.11. Cometes magnus, mense Maii, flagrans diebus 80. & caudâ super Russiam porrectâ, Tartarorum adventum significavit. Imperium turbatur, Otthone Imperatore Fridericum Secundum contra se electum armis persequente.

Anno 1.2.14. Cometæ duo terribiles apparuerunt in Scotia, alter Solem præcedens, alter sequens, & Rex Wilhelmus senio extinguitur. 1.2.15. Concilium Lateranense celebratur, actumque denuo de bello sacro.

Anno 1.2.54. Cometa apparet, quem sequitur horribilis ventus; die 7. Decembris ad superos migrat Primus Nostræ *Familiæ Pontifex Innocentius IV.* Conradus Rex veneno perit. Manfredus Friderici Secundi filius Pontificios profligat, Siciliam invadit & fit Rex. Ezelinus, Patavii Tyrannus, bellum Pontifici infert, & aliquot ejus Urbes recipit, at non multum post, vulnere lethali accepto, ad inferos descendit. Tartari Mesopotamiâ potiuntur.

Anno

Ano 1.2.64. crinitus Cometes per tres menses fulsit, eodem die quo ægrotare incœpit Urbanus IV. & evanuit die 12. Octobris, quo obiit: post ejus mortem Carolus, Regis Galliæ frater, occupavit Regnum Neapolitanum, Manfredum interficiens; magni postea tumultus & dissensiones enatæ sunt, quæ diu durarunt. Hispani Mauros vincunt.

Anno 1.2.68. Cometes miræ magnitudinis sub meridie (quod pro miraculo habetur) in Scotia per plures dies fulsit, ut notat Cardanus quadripart: pag. 2.77. moritur Clemens IV. PP Sanctissimus, qui modum tractandi Pontificis affines docuit, quem tamen Successores amplecti noluêre. Conradinus, qui Siciliâ potitus erat, tandem à Carolo Neapolis Rege victus, in fugâ captus, publicè decollatur. Vacat Sedes Pontificia ob Cardinalium discordiam, usque ad annum 1.2.71. mense Septembris.

Anno 1.3.13. duplex observatus Cometes. In Italiam vocatur Henricus VII. Imperator, qui tandem veneno perit: pestis & fames ferè universalis sævit: moriuntur 1.3.14. Philippus Galliarum Rex, equo delapsus in venatione, & Clemens. V. 1.3.15 gravissimis motibus Italia & Germania quatitur, Friderico contra Ludovicum Cæsaris nomen usurpante. Anglus à Scoto profligatur: usque ad 1.3.16. vacat sedes Petri.

Anno 1.3.48. magnus fulsit Cometes, ex cujus discessu venti adeo sreviêre, ut multi horum causâ mortui sint, deinde pestis triennalis per totum Orbem grassata est. Terræ motus absorbet duos montes. Anno sequenti moritur Orchana, Othomanni Primi filius, Rex Turcarum.

Anno 1.3.94. Cometa apparuit Veru dictus in angulo Orientis, & ad ortum ferebatur magnâ velocitate. Tamerlanus Tartarus, qui solum anno 1.3 91. Orbi innotuit, totam Asiam invasit, evertit & prostravit, Bajazetem vicit, & scabelli vice, equum scandenti servire fecit, postea caveæ ferreæ inclusit, cum autem transitum in Europam cogitaret, morte

Præfecti,

Præfecti, quem Regno proprio reliquerat, in Parthiam redire coactus est.

Anno 1.4.02. magnus fulsit caudatus Cometes inter Meridiem & Septentrionem. Ob bella in Italia sæva pestis secuta est. Joannes Galeatius Viscentius, Primus Mediolani Dux, domitis variis Italiæ locis, dum Florentiam obsidione cingit, spe Italiæ Regnum devorans, die 3. Septembris hujus anni, pestilentiali febre correptus, fatis cedit. 1.4.04. mense Octobri moritur Bonifacius *IX*.

Anno 1.4.52 circa Calendas Junii, in Orientali Angulo; in Ariete, Stella crinita visa est, apparebatque pene quindecim diebus, ut ferri ad ortum, & diurnus ejus motus quatuor proximè graduum esse videretur, quandoquidem per duos dies, ut ferunt, non apparuit, postea post occasum Solis visa est, die 16. ejusdem mensis Junii; circa principium Leonis apparuit alia, sed major prima: sic Trapezontius Romæ observavit. Harum Stellarum effectus paulò post incœperunt: detecta fuit conspiratio Stephani Porcari in Nicolaum Quintum. Bellum Mediolanense fervet, inter Venetos & Sfortiadas. Ferrandus, Arragoniæ Familiæ, Florentiam perturbat, sed spe frustratur. 1.4.53. Constantinopolis à Mahomethe expugnatur, perit Imperator Constantinus, & cum ipso aliquot millia Christianorum, sic paulatim tota Græcia à fide Christiana defecit, & hic annus fuit ultimus Imperii Christianorum in Oriente. 1.4.54. Galli Anglos Regno ejiciunt, & pax in Italia, Pontifice agente, redditur, qui anno sequenti ultimos dies clausit. 1.4.56. Mahumethus devicto Oriente, Occidentem aggreditur, & sub Hunniade Ungariæ Rege Turcæ prostrati sunt, qui, toto Christiano Orbe complorante, hoc anno obiit.

Anno 1.4.75. Idibus Januarii, visus est Cometes caudatus, sub Libra cum Stellis Virginis, movebatur contra ordinem signorum à Libra in Arietem; capite verò & cauda semper versus Occidentem, nunquam versus Orientem ivisse, non solum motu diurno,

diurno, ſed etiam proprio, obſervavit Regiomontanus. Referunt alium anno 1.4.72. menſe Januario, ſub eodem Libræ dodecate motu obſervatum. Anno ergo 1.4.75. Turcarum multa millia in Moldavia trucidantur. Burgundus Lotharingiam bello opprimit. 1.4.76. concurſus ſtultorum in Francia Germaniæ factus ad Niclaushauſen, erroribus plenus. 1.4.77. Carolus Dux Lotharingiæ, ope Helvetiorum victus occumbit. 1.4.78. Sixtum IV. exagitant Itali. Papa declaratur Venetorum hoſtis acerrimus, & cum eo omnes Italiæ Principes. Turcæ multas Civitates Chriſtianorum his annis rapuerunt, Nigropontum in Euboia, Regnum quoque Bosneum, Ducatum de Spetis, Achayam, Myſiam, & plura regna in Oriente.

Anno 1.5.06. Cometes fulſit, ut notat Auguſtinus Niphus, & biennio poſt tanta ſiccitas in Inſubria ſubſecuta eſt, ut à Januario in Novembrem, nulla pœnitus pluvia in eâ Regione deciderit. Hoc anno Calecutanum Imperatorem denuò vincunt Luſitani. Julius II. Bononiam recipit, Bentivolio pulſo. Veneti in Cadore dimicantes Germanos diſſiparunt, multas Civitates & loca continentia obtinuêre; & Genuenſes ſubjectionis impatientes, Gallos Urbe ejiciunt.

Anno 1.5.12. Cometes ſanguinei coloris menſe Martio & Aprili fulſit. Die Paſchatis pugnatum eſt ad Ravennam, Pontificios vincit Gallus, paulò poſt Italiam deſerere cogitur, Mediolano exuitur, & Maximilianus Sfortia, Ludovici Mauri filius, ipſum recuperavit: anno ſequenti Julius II. è vivis diſceſſit.

Anno 1.5.26. Cometes apparuit die 11. Auguſti, ex quo manus cum gladio prominere videbatur, perduravit usque ad diem 6. Septembris. Anno ſequenti, die 14. Maii, Roma & Clemens VII capitur à Cæſarianis, Borbonio Duce, dum muros ſcandit, occiſo; & Henricus VIII. Rex Angliæ à fide Romana deficit. 1.5.28. Gallus mittit exercitum ad liberandum Pontificem, & bellum peſte conſopitum, recrudeſcit: In comitiis Spiræ Proteſtantium nomen naſcitur. 1.5.29. conciliatur Papa,

Cæsar & Gallus. Turca, potenti exercitu Viennam tentans, pellitur. Novo morbo, Sudore Anglico appellato, Germania laborat.

Anno 1.5.30. Cometes visus. Florentia in servitutem redacta est. Hoc anno confessio Augustana in comitiis ibidem emergit. 1.5.31. alius per Cancrum, Leonem, Virginem & Libram discurrens observatus est. Terræmotus Lusitaniam graviter cōcussit. Bellum Religioni apertum indicit Rex Angliæ, & Caput Ecclesiæ Anglicanæ se jactans, excommunicatur: sequitur pax prima Caroli V cum Protestantibus.

Anno 1.5.32. Cometes in Virgine, Libra & Scorpione, intra Tropicos apparuit: unde Frisii, Batavi, Zeelandi ac Flandri, aquarum inundationibus submerguntur. 1.5.33. à fine Junii usque ad initium Septembris, per Geminos, Taurum & Arietem retrocessit, terræmotus ac ventus Rheno vicinas Regiones fortiter exagitavit, fames Germanos vexavit. Turcæ Moream occupant. 1.5.34. in Polonia tam gravis fuit inundatio aquarum, ut Cracoviæ & Casimyriæ, lapidei pontes & mœnia cum plurimis ædificiis sunt eversa. Hæresim arcet à Galliis, legibus gravissimis, Rex Franciscus. 1 5.35. Carolus V. Tunetum, & res Africæ componit. Anabaptistæ cum Rege suo profligantur. Solymannus Persis adimit Mesopotamiam, Assyriam & Babyloniam.

Anno 1.5.45. Cometa apparet. Franciscus Rex Galliæ, Waldenses hæreticos insigni expeditione delet. Initium Concilii Tridentini. 1.5.46. die 18. Februarii moritur Martinus Lutherus, & Rex Ferdinandus Saxoniam vastat. 1.5.47. Januarii, Rex Angliæ Henricus VIII, & Martii Franciscus II. Galliæ, è vivis discesserunt, die 10. Septembris, Petrus Aloysius Farnesius Pauli III. Filius, Dux Placentiæ, à conjuratis occiditur.

Anno 1.5.56. Martii in ipso æquinoctio instar Columnæ, Cometes fulsit usque ad 23. Aprilis. Calvinus nova dogmata spargit. 1.5.57. Paulus IV. ad bellum movet Hispaniarum Regi,

tota

tota Italia turbatur, dum hic Homo non venit mittere pacem, sed gladium.

Anno 1.5.58. Augusti die 17. pallidus Cometes circa Occasum apparuit, in 12. Virginis gradu. Secuta est, die 29. Septembris, Caroli V. ultima dies, sic & Mariæ Catholicæ Angliæ Reginæ, cui Elisabeth successit. In Scotia & Anglia invalescit Hæresis. Anno sequenti. Henricus II. Rex Galliæ, in Nuptialibus ludis, hastâ oculo læso, die 10. Augusti, & die 18. Paulus IV. obierunt.

Anno 1.5.68. res mira & admiranda, quam silentio tegere nolui. Die prima Septembris, visum est interdiu caput Leonis, & subsecuta est mox Venetiis armamentarii Navalis conflagratio miseranda.

Anno 1.5.77. die 9. Novembris, Cometes apparuit prolixos effundēs crines, juxta occasuram Cœli partem, cujus corpus erat rotundum lucidum, & albedine quadam sublividâ conspicuum; cauda verò, quæ plurimum versus ortum, quasi in oppositas Solis partes protendebatur, rubicundioribus radiis flagrabat, eòque densioribus, magisque apparentibus, quò capiti propiores erant, circa extremitatem verò rariores, minus lucis & coloris oculis insinuabant, erat insuper incurvata nonnihil cauda, ita ut convexitatem Zenith, concavitatem verò Horizonti obverteret: locus ejus observatus ferè in gr. 21. Sagittarii: perduravit usque ad diem 26. Januarii in gr. 20.55'. Piscium evanescens. De eo scripsit Tycho, qui locum ejus sub die .3. tantum observavit in gr. 7.15. Capricorni. 1.5.78. Joannes de Austria ex Confœderatis triumphat, & paulò post moritur, sic Sebastianus Rex Portugalliæ in Africa cum aliis duobus Regibus. 1.5.79. Persæ Turcas bello vincunt, Poloni Moscos.

Anno 1.5.93. mense Augusti Cometes apparuit, oblongam caudam, à Septentrione meridiem versus, convertens. Hoc tempore Narva, Livoniæ Urbs celebris & Emporium nobile, pulveris

ſulphurei in Armamentario ſuccenſi flammis deformatum eſt. Anno ſequenti. Henricus IV. Galliarum Rex coronatur, nobiliſſimas occupat Urbes, Confœderatis ſeſe dedentibus. Turcæ Rhegium deripiunt, & à claſſe Pontificia fugantur, ſic ſequentibus annis varias accipiunt clades.

1.6.07. Cometa in Leone viſus, in Horoſcopo Imperatoris Rudolphi obſervatus, naturæ Saturninæ & Mercurialis: hic enim cum Matthia fratre colliditur, qui poſtea Ungariæ Rex creatur, quem tandem dominio, libertate & vitâ privavit. Carolus III. Dux Lotharingiæ moritur. 1.6.08. imminens bellum inter Paulum V. & Venetos pax firmavit.

Anno 1.6.18. die 17. Novembris apparuit in aëre trabs, ſeu Jaculum immenſæ magnitudinis, ita ut Cœli partem magnam occuparet, raræ quidem materiæ, cum exinde Stellæ optimè conſpicerentur, quod nec auctum, nec diminutum perſiſtere viſum eſt, usque ad noctem diei 28. die verò 29. ſequenti mane, ante ortum Solis Cometes horribilis apparuit caudatus, cujus caudæ longitudinem contendebant Profeſſores eſſe majorem Cometæ à terra diſtantiâ, quæ fuit maxima, cum nunquam Parallaxim expertus fuerit, nec poſtea trabs admodum viſa eſt. Perduravit ergo dies 28. in quibus ambulavit contra ordinem ſignorum à gr. 9. 25'. Scorpionis, in quo apparuit ad usq; gr. 7. 45. Virginis, ubi evanuit, perficiens gr. 61. 42'. effectus hujus Cometæ diu duraturos experientia comprobavit. Hoc enim anno fuit belli Germanici in Bohemia initium; in ſequenti moritur Imperator Matthias, deinde paulò poſt alii Principes è vivis diſceſſerunt, & bella & calamitates in longum tempus exarſêre: teſtis Germania infelix.

Anno 1.6.52. die 17. Decembris, novum viſum eſt Sidus, quod diligenter obſervavi, etſi adoleſcens annorum decem & ſeptem; erat ſicut Stella ſatis magna, ſuperans illas primæ magnitudinis, imò tantæ magnitudinis, quantum ipſa Luna oculo nudo apparet: corpus ejus admodum obſcurum, coloris ſubpallidi, in cu-

in cujus medio, ut tria puncta clara videbantur, quæ solum Telescopio innotuerunt, erat absque crinibus, & cauda rotundæ figuræ, solum tenue quoddam lumen albicans corpus circumdabat, modò ad Ortum observatum, modò ad Occasum; conspiciebantur etiam quædam languidæ scintillationes quasi Stellularum, quæ perdurarunt ferè usque ad ejus finem, sed lumen corporis, semper magis magisque obscurum evadebat: Saturnini ergo & Lunaris fuit coloris. Duplici procedebat motu, uno ex Oriente in Occasum, altero peculiari à Meridie in Septentrionem, cum aliqua declinatione ad Occasum, & cum hoc inæqualiter procedebat, nam die 19. gr. 15. confecit: spatio 24. horarum, ut omnes observarunt die 20 gr. 13. die 21. transgressus Circulum æquinoctialem, distans tantum tribus gradibus ab æquinoctiali, confecit in horis 24. gr. 12. velocissimi ergo motus est in principio, postmodum assiduò deficiens, tandem vix sesquigradum complere observatũ est. Apparuit in Leporis Asterismo in gr. 9. circiter Geminorum cum declinatione Meridionali gr. 46. quã observationem referimus ad diem 18. cum maximis fuerit obscuritatibus involutus dies 17. die 24. erat cum Pleiadibus & Stellâ proximâ, in collo Tauri obtinens longitudinem gr 27. Tauri, latitudinem verò mutavit in Borealem ad gr. 3.40'. perduravit usque ad diem 6. Januarii anni 1.6.53. nam tunc in facie Persei vix fuit visus: scribunt alii observasse usque ad diem 9. & tetigisse Stellas Andromedæ & Cassiopeæ, quo ad verò nostram observationem aliorumque, sub die 6. desinit in gr. 18. cum dimidio circiter Tauri cum latitudine gr. 32. circiter; nullam suscepisse Parallaxim fatentur omnes, hinc fuit supra Lunam, per infinita ætheris spatia.

Hujus Cometæ effectus magis conspicui fuêre in Regionibus Septentrionalibus, propter moram, quam fecit cum capite Algol & Perseo: at quia persistere visus est in duobus Cœli signis, Geminis nempe & Tauro, signo fixo, in longum duraturi, in Europa funesti se prodiderunt, maximè admixti effectibus

Eclipsis patrati, anno 1.6.54. die 12. Augusti, & fuêre mortes plurimæ puerorum & Juvenum, abjectiones Magnatum, mala Ecclesiasticis, rumores bellici, Morbi epidemici, & similia.

Circa aëris mutationes & statum Anni temporum, hæc diligentissimè annotavi. Ex hujus Phænomeni apparitione & occultatione, aër frigidissimus fuit usque ad finem Martii, vix ergo ad Veris initia perventum est, dum calor præter naturam exortus paulò post evanuit, & frigus quam maximum rediit. Hyems fuit absque pluviis, hoc tempore mortes subitaneæ, Phrenitides & Apoplexiæ variæ fuêre, & Morbus quidam Epidemicus Venetiis ortus est, cum capitis dolore & febre, cui *Arietis* Medici nomen dedêre, nam quatuor vel sex dierum spatio ægrotabant, & sanabantur paucis, aut nullis adhibitis remediis; sed quia non omnibus innotuit affectus, aliquot sanguine emisso, pharmacis non convenientibus applicitis, periêre. Fuit æstas ventorum & imbrium copiosa, & primi dies Junii æstuosissimi, in hybernum frigus commutati usque ad Julium perdurarunt: in æstivo solstitio multi, trium vel quatuor ad summum dierum spatio, malignâ febre mortui sunt: inordinata tempora mense Augusti fuêre cum pluviis, & ferè per totum hunc mensem duo, vel tres quotidie ferro necabantur, quod quidem fuit ab omnibus admiratione dignum annotatum: die 26. hujus mensis, Veronæ plusquam viginti cecidêre de Cœlo fulmina, quæ Templa & domos deturbaverunt, & Venetiis eodem die, grando magna cum fulmine cecidit, quod partem Sacræ turris, quæ Divi Marci Ecclesiam recipit, deturbavit, & aliquos occidit. In Foro Livii, terræ motus magnus per quindecim dies perduravit, & vicinis Oppidis damna attulit; Venetiis verò die 4. Septembris hora noctis quinta, magnus terræ motus auditus est, qui paulò post evanuit. Autumni principia fuêre ventosa, pluviosa & frigida, multi fuêre ægroti, morbi acuti & maligni,

& pau-

& pauci sanabantur, alii vix ad septimam diem pervenerunt: terminavit Autumnus cum imbribus quotidianis, & cum ipsis incœpit hyems. Hoc anno Angli & Hollandi navali pugnâ concertant. Rustici in Helvetia tumultuantur. Anglia ex libera Republica fit mancipium Cromuelli. Gallia intestinis tumultibus fatigatur.

Hyems hujus anni 1.6.53. pluviosa incœpit, & imbres adeo copiosi fuêre à medio Decembris usque ad diem 2. Januarii 1.6.54. nam in Bergomo & vicis ejus, parum abfuit, quin omnes submergerentur; deinde paucas habuit pluvias, multos verò ægrotos: morbi fuêre, pleuritides, apostemata, febres tertianæ, continuæ & intermittentes, capitis dolores, & multi obierunt. Ver frigidum, pluviosum cum paucis ægrotis: die 11. Maii, horribilis ventus non solum Venetiis, sed in Pagis prope Patavium, arbores vetustissimas eradicavit, domosque diruit, & die 14. fluvii majores, ut Padus & alii, exundarunt. Romæ locustæ arva devastarunt. Genuenses conspiratione Nobilium quorundam affliguntur, quæ tamen detecta fuit; & inter ipsos & Hispaniæ Regem, bellum imminens paulò post consopitum fuit. Carolus Dux Lotharingiæ in Hispaniam captivus deducitur. Pestis in Polonia & Dania sævit: die Julii 9. moritur Viennæ noviter electus Rex Romanorum Ferdinandus IV. die 21. hujus mensis nocte prope horam sextam terræ motus Magnus ter concutit Romam, at in agris Abrutii per multos dies perduravit & damna attulit. Anni tempus veris, æstatis & autumni, modò calidum modò frigidum fuit, cum diebus turbatis & caliginosis; & unum ab alio parum differre experti sumus

Hyems anni 1.6.55. pluviosa fuit ferè usque ad Martium: die 6. Januarii Innocentius X. & 27. Februarii Franciscus Molinus Venetiarum Dux naturæ cedunt. In Asculo Oppido Piceni

Piceni initium Schismatis. Presbyteri illius loci, senem quendam ex ipsis in Pontificem elegerunt, at aliquot ex ipsis postea carceribus includuntur. Die 7. Aprilis Alexandri VII. creatio: hoc mense tanta fuit gryllorum in arvis Romæ multitudo, ut necesse fuerit multos mittere ad ipsos enecandos. Pestis Neapoli grassatur, deinde Genuam aggreditur, postea Romam. Venetiis non solum pueri, sed adulti etiam variolis corripiuntur: exanthemata, morbilli, febres tertianæ non defuêre; mors paucos sustulit. Sueci maximum parant exercitum, & quò tendere velint, totam Germaniam suspensam tenent. Poloniam Mosci & Cossaci invadunt. Cromuellus Catholicos omnes Anglia proscribit. Christina Regina, Sueciæ abdicato Regno, superiori anno, Carolo Gustavo Coronam tradens, publicè Romæ fidem Catholicam profitetur. 1.6.56. Aprilis 30. Carolus Contarenus, & die 5. Junii, Franciscus Cornelius Venetiarum Duces moriuntur. Poloni, Tartarorum viribus aucti, arma arripiunt, & Suecos Regno expellunt. Religio Cruciferorum & Sancti Spiritus, Alexandri VII. jussu extinguitur: pestis Neapolim, Genuam & Romam afflixit & ferè destruxit. Veneti de Turcis, navali victoria ad Dardanellos in Morea obtenta, triumphant. Aquisgranum subito exorto incendio miserè conflagrat. 1.6.57. die 2. Aprilis Ferdinandus III. Imperator moritur. Ragozius Transylvanus Poloniæ Coronam ambiens, à Polonis & Austriacis cæditur. Austriaci, Poloni, Dani & Brandeburgius adversus Suecos uniuntur. 1.6.58. Leopoldus I. frustra contradicentibus aliis, Romanorum Imperator eligitur. Cromuellus moritur, eique succedit in Prorectorem Richardus filius, minori verò auctoritate. Dux Mutinæ Franciscus moritur, cui succedit Filius Alfonsus IV. & Bertucius Valerius, Dux Venetiarum dies clausit 30. Martii. Memorabilis annus 1.6.59. propter pacem sancitam inter Hispaniæ & Galliæ Reges. Sueci Hafniam, medio hyemis & aquis congelatis, cruenta audacia expugnant, summa autem suorum strage repelluntur. Fridericus Dux Holsatiæ moritur, & Joannes

Pisaurus

Pisaurus Dux Venetiarum, prima Octobris. Tyberis inundatione, Roma anno 1.6.60. affligitur; sic Polonia, Apulia, aliæque Civitates, ab aquis exundantibus multa damna accepêre. Germaniæ aliquot Civitates fortuito igne pereunt, & Constantinopolis horribile patitur incendium. Carolus Gustavus Rex Suetiæ moritur, & multi Principes hoc anno obiêre, ut ex Historiis patet: hæc ex hoc Cometa annotavi, cum ejus effectus adhuc durent.

Sed non transibit hoc sæculum, quin novum in Cœlo lumen, post patratam Superiorum conjunctionem, oculis nostris se conspiciendum ostendet: sic scripsimus in Opusculo nostro, Lugduni impresso, anno 1.6.62. pag. 38. cui fuit titulus: De Causis Mutationum Sectarum, Imperiorum & Regnorum Mundi.

Et ecce caudatus fulsit Cometes, Mense Decembris, anni 1.6.64. quem in Asterismo Corvi observarunt Professores. Romæ visus sub die 12. prope rostrum Corvi, parum à Tropico Capricorni distans, alii sub die 14. alii 15. alii 16. alii 17. & alii 18. satis autem est scire, quod etsi adsit hæc intercapedo dierum à prima ad ultimam observationem, tamen concordant omnes, fuisse proximum Stellæ, quæ est in rostro Corvi: differunt verò in hoc, quod sub die 12. ponunt circa 4. Libræ gradum die 15. in gr. 26. Virginis, alii usque ad diem 18. inter 3. & 4. gr. Libræ: in hac differentia latitudinis Regionum à gr. 42. usque ad 46. talis reperitur Astronomorum positio. Aliqui Parallaxi sensibili caruisse affirmant, negant alii: quidquid sit, & nos aliqua de ipso dicemus.

Fundamentum prædictionis nostræ de futuro Cometa, post patratam Superiorum conjunctionem anni 1.6.63. mense Octobris, non fuit fortuitò positum, sed validissimis innixum rationibus: accidit die 21. Octobris Saturni & Jovis conjunctio in gr. 13. 50'. Sagittarii, cui platicè erat juncta Venus, & de Trino partili Mars in Leone locum illum intuebatur; anno verò 1.6.64.

Novembris, Saturnus, Mars & Venus fuerunt in Sagittario, & die 22. uterque maleficus in gr. 27. hujus Signi conjunctionem celebrarunt. Ex his ergo causis ortum agnoscit Cometes, qui primùm à paucâ quantitate halituum corporis Saturni, qui de continuo augentur, aliorumque Planetarum expiramentis accedentibus, per magnam ætheris amplitudinem vagari incipiens, nullum servat ordinem motûs, sed ut nubes aliqua à ventis commota, huc vel illuc transfertur; postea ex ingressu Martis in Sagittarium, circa diem 17. Octobris, suo motu semper appropinquantis corpori Saturni, expiramenta horum Planetarum, auctæ dispositæ materiæ formam dedêre, deinde in æthere condensata magnam in molem excrescentia, caudatum formarunt Cometem, qui cum non amplius in proprii Planetæ Atmosphæra manere possit, à loco, à quo impellitur, proprium motum accipit, & nobis se tradidit conspiciendum. In Sagittario ergo genitus, (in quo signo post conjunctionem 1.6.63. ferè usque ad finem 1.6.64. perduravit Saturnus) in Scorpione postea visus: à Viris fide dignis, circa initia Decembris apparuisse, typis consignatum est. Alii die 27. Novembris sub Polo 46. hora 13. Ascendente gr. 11. Scorpionis. Nautæ & alii sub Polo 38. & 39. hora 12. cum dimidia Ascendente gr. 12. Scorpionis, ejus ortum ex Calabria observarunt: antea non fuit visus ob nimiam Solis in Scorpione viciniam: sed, quia die 21. Sagittarium ingressus est, sequentibus diebus apparere incœpit: ejus locus juxta me, circa gr. 3. Scorpionis, ut ex ejus motu colligitur; primum tardo ad gr. circiter dimidium, postea ad gradum, deinde veloci, postea velocissimo, nam 12. dierum spatio, plusquam centum gradus peragrasse, & ex æquinoctio Libræ Cancri Tropicum pertransisse observatum est, ad summum autem ad gradum fere 20. pervenit, unico tamen die, deinde insequenti, duplici gradu diminui cœpit, postea uno, deinde adeo tardè motus est, ut vix decem minuta post dimidium

Janua-

Januarii conficeret. Latitudinem, quam Australem in initio obtinuit, circa Januarii initia in Borealem mutavit: perduravit ergo, ut diligentissimè observavi, ferè immobilis usque ad diem 25. Januarii, desinens in gr. 27. circiter Arietis, & tunc, ut Stella nebulosa vix cernebatur: postea nubes obortæ perdurarunt usque ad 3. Februarii: & tunc vix oculo conspici poterat.

Ejus figura talis fuit. Caput multum Sole majus, caudam magnam habuit in longum protensam, in fine latam, caudæ hirundinis similem, quæ in initio versus Occasum protendebatur, in fine Orientem versus. Quando verò fuit per diametrum Soli oppositus, tam ex parte Orientali, quam Occidentali, ut Crinitus absque caudâ visus est, ad hoc etiam adjuvante Lunæ splendore. Color ejus in ortu fuit rubeus, sed ad medium Cœlum appropinquans, apparuit cinereus, subfuscus cum aliquâ albedine, in caudæ medio & extremitate clarus, ut Stellæ per ipsam cernerentur: in corpore Disci globi tres & quatuor cernebantur, in quibus aliquot scintillæ parvæ modò apparebant, modò evanescebant, & innumerabilia puncta, quæ semper remanserunt. Cauda hæc à medio Decembris incœpit solito major apparere, deinde per tertiam sui partem excrevit, sed non multum post minui cœpit, nam die 5. Januarii hora noctis prima, ipsum observavi capite parvo, paucâque caudâ: hoc tempore colorem subobscurum habuit, caudaque erat versus Orientem, quam usque ad finem retinuit. Movebatur motu Stellarum quotidie oriens & occidens, peculiari verò alio incedebat versus Occasum, contra ordinem Signorum, aliquo pacto flectens versus Austrum. In principio cauda versa erat ad Occidentem, in medio ad Septentrionem, & sic Leonem & Cancrum respiciebat, in fine verò ad Orientem: Parallaxim non habuisse affirmant Auctores melioris notæ, quod autem quidam pauperes consilio adducunt, in initio fuisse sub Luna,

 & pa-

& parallaxim magnam habuisse, eò, quia Romæ apparuit in Rostro Corvi, Patavii sub prima Hydræ flexione, alibi in fundo Crateris &c. hoc enim dependet ex propria uniuscujusque observatione, tum ratione diversitatis dierum & locorum, tum instrumentorum, quæ addita aliquorum imperitiæ, non est mirum, si ut cæci simul concertent, cum inter illos nondum proprius assignatus fuerit huic Phænomeno locus.

Afficientur ergo loca, quæ Scorpioni usque ad Arietem subjiciuntur, per hæc enim signa perambulavit Cometes, & magis eorum effectus experientur, dum Sol per hæc signa percurrit, quibus verò fuit Verticalis, magis validi erunt. Civitates, quibus innotescit Horoscopus, si per ipsum pertransivit ad proximos gradus, non erunt immunes; Romæ enim & Venetiis innotescit Ascendens inter alias: si verò tetigerit Principis alicujus Horoscopum, mors erit præ foribus: hoc verò non intellige de Cometæ per signa transitu, sed de signo, in quo genitus fuit & apparuit. Hinc Alexander VII. Astrologos Romæ de Cometa garrientes, carceribus inclusit, non sine totius Orbis cachinno: alicui enim Papæ innotescere Ascendens credo, unde mortem timens, nil mirum, si in Astrologos sævit.

Circa Prognosticum nihil dico, cum parum abfuerit, quin ultimum mundi diem instare, aliqui ausi non sint scribere. Cum hic Cometa Saturninus sit, &, ut supra diximus, ex halitibus magni Corporis Saturni genitus, effectus pariet de naturâ Saturni, qui quidem erunt mixti ratione Planetæ, qui fuit particeps in ejus generatione, nempe Martis & Planetæ, qui Cometæ corpori erat junctus, nempe Mercurii; sicut etiam ex ejus colore id affirmare possumus; certum enim est, quod Sole in Scorpione existente, tunc genito Cometâ, Mercurius erat in Scorpione retrogradus, imò die 25. Novembris mane horâ 13. circiter Horologii sub Polo 46. sicut horâ 12. cum dimidiâ sub Polo 38. 39. 40. Ascendente gr. 12. Scorpionis erat in Oriente Mercurius, & Cometes in Scorpionis initio, Luna verò de trino ex Piscibus Cometam intuebatur.

Circa

Circa aëris statum, hæc ab ejus apparitione usque ad totum Majum observavimus: à die 25. Novembris usque ad diem 17. Decembris, tempora fuêre nubila cum pluviis multis, & solum quatuor vel quinque dies sereni fuêre, non tamen sine nubibus, aut mane, aut serò: die 17. celebrata Luminarium conjunctione, usque ad finem mensis serenitas secuta est, non tamen sine frigore & nubibus aliquando. Nubila incœpit dies anni prima, totusque Januarii mensis, modò serenus, modò turbatus, caliginosus, ventosus: à die enim 15. usque ad 28. magna cecidit de Cœlo nix, non tamen quotidie, postea secuta est glacies, cum frigore tali intolerabili, ut arbores multæ, ut Mala citria, Medica, & alia hujusmodi non solum in nostris partibus, sed in Apulia etiam, aliisque Italiæ locis extincta fuerint. Februarius ferè totus pluviosus & nimbosus. Martii initia serena, frigida, circa medium nebulosa: dies 19. annotabilis propter nivem, quæ per tres circiter horas ad ovi magnitudinem cum vento magno perduravit, reliqui dies pluviosi & nubili, Aprili serenitatem pararunt usque ad diem 10. qui tota die & nocte, cum pluvia & vento magno perduravit, reliqui dies sereni usque ad 25. aliquando verò cum nubibus: à die 25. usque ad finem Venti magni fuêre cum paucis imbribus, frigus verò hyemale; hoc tempore rure multa cecidit de Cœlo nix, in variis locis Patavii, Vincentiæ & Veronæ horrida grando. Maius usque ad Novilunium, nocte diei 14. dies habuit pluviosos, turbidosque, maximè noctem 4. & diem 5. qui fuêre cum tonitruis, fulguribus, vento & pluvia magna: die 17. hora 22. turbo cum vento magno, tonitruis & fulguribus in magnam pluviam mutatur, reliqui dies, usque ad finem mensis, nunquam fuêre absque nubibus, modò mane sereni, modò turbidi post meridiem; circa diem 20. aër incalescere cœpit: nox diei 27. & totus 28. habuit pluvias, terminat cum sereno mensis: & hæc circa aëris mutationem usque adhuc observavi.

Quo ad morbos, Rheumata multa, pleuritides spuriæ & exquisitæ; & quod peius, mortes inopinatæ multæ Venetiis

fuêre. In quodam Mediolani subdito loco, qui Vallis Sasinæ nuncupatur, Morbus Epidemicus incœpit, triū vel quatuor dierum spatio homines enecans. Taurorum mortes, aliarumq; belluarum inopinatæ, repertis pulmonibus putridis: quod quidem signum pessimum est, futuram pestem prænuntians. Pestis Cretæ Turcas affligit. Turcæ Dalmatiam invadunt, sed usque adhuc dormiunt. Revolutiones in Polonia pro Regis Electione, Rege adhuc vivente Casimiro. Bellum Angliæ (à nobis prædictum pag. 30. Nostri Opusculi supra citati) cum Hollandis: hoc autem loco annotatione dignum est, Antiquos Astrologiæ Professores Hebræos, Saturno subjectos fecisse, ut Planetarum primo, ipsi verò Religione primi, ut notum est; cum autem Cometes hic Saturninus sit, effectus etiam in ipsos produxit, nam cum esset Bacchanalium tempus, personatus quidam Christianus, eorum linguæ non imperitus, in Synagogis de lege Moysis differebat, textus Prophetarum adducens, hocque faciebat ad animi solatium, his punctis Hebræi ipsum pugionibus confoderunt, vivo relicto, occurrentibus præ rumore Christianis, hocque fuit die 13. Januarii: mane sequenti talis surrexit plebeiorum rumor atque tumultus in ipsos, nam per viam repertos multis verberibus onerarunt, alios aquis ferè suffocarunt, quæ omnia & peiora secuta fuissent, nisi Serenissimus & Prudentissimus Senatus aliquos (Christianos tamen) carceribus includens, frænum huic plebi imposuisset.

Hæc ergo sunt Cometæ hujus effectuum initia, qui in multos annos sunt duraturi, quia signum est fixum. Erunt ergo terræ motus, grandines, venti impetuosi, pluviæ magnæ inexpectatæ, unde inundationes fluminum & ruinæ agrorum, anni tempora instabilia, frigus in ipso æstu parientia: quoad morbos, mortes inopinatæ, maximè in juvenibus, morbi acuti & maligni, vitia urinæ, dissenteriæ, apostemata, pleuritides, ipsaque pestis, & forsan aliquis morbus incognitus, qui in Epidemicum convertetur.

Circa

Circa ſtatum Mundi, quia apparuit in ſigno Maurorum, ut ille Hali anno 1.200.de quo ſupra diximus,prælia,Regionum depopulationes & mutationes in legibus ſunt expectandæ, non ſine novo aliquo Sectario : afficientur loca Scorpioni ſubjecta, & Triplicitatis ejus, qualia autem ſint, ponemus in fine Eclipſium,ſed non hæc ſola hujus Cometæ experientur effectus, ſed quia perambulavit à Scorpione usque ad Arietem,& loca omnibus his ſignis ſubjecta non erunt immunia, maximè illis populis, quibus fuit Verticalis: in parte ergo Auſtrali magis validi erunt effectus, quia poſtea Europam ingreſſus latitudinem mutavit, quod aliis dedit, & nobis afferret; nam Hiſpaniæ, Galliæ, Italiæ poſtea fuit Verticalis. Saturnini & Mercuriales malum in complexione perſentient, animique pathemata experientur, quibus verò tetigit Thematis Natalitii Horoſcopum, Deo ſe commendent.

Secundus Cometes nomine Xiphias,inſtar gladii Cretæ viſus eſt die 12. Decembris, hora noctis octavâ circiter, inter Orientem & Meridiem : referunt alii viſum etiam die 30. Novembris,ante magnum illum Terræ motum,qui hora ferè ſecunda noctis hujus diei Urbem fortiter concuſſit, multa damna afferens ædificiis & Templis : hic quidem Cometa non eſt idem cum primo,qui ubique eſt viſus : de hoc ſecundo nullam obſervationẽ habeo, forſan annotabunt alii : ſi ſic ergo eſt,ut ſcribunt, jam de te,ò Creta,ſtat in Oraculis Sybillarum infauſtum omen.

Alium referunt viſum caudatum Cometem menſe Januarii,ex parte Orientis obſervatum, ſed apparere potuiſſe non nego, causâ non ignotâ, ut dicam infra : ſed vereor, ne in errorem elapſi ſint, qui hunc novum crediderunt, quia de quinta Januarii viſus eſt Cometes parvus, cum parva cauda verſus Orientem tendens (antea non viſus ob nubes, à die 31. Decembris, usque ad 4. Januarii perdurantes) hora prima noctis prope Mandibulã Cetæ in gr. 9.circiter Tauri,& quia parvus erat & parũ lucidus,novum exiſtimarunt,& ſublunarẽ etiam crediderunt, & ta-

& tamen erat ille, qui apparuit mense Novembris, ad declinationem tendens.

Romæ die 2. Aprilis alius visus est Cometes caudatus, sed Viennæ Austriæ die 6. hora ferè tertia matutina, in collo Pegasi: magnitudine par erat Jovi, qui simul cum Cometa videbatur supra Horizontem, lumen ejus valde clarum, cauda longissima, quæ porrigebatur versus Delphinum in oppositam Soli plagam, caudam in præsentia Lunæ retinuit ex adverso splendentis: die 7. hora secunda post mediam noctem, fuit in pectore Pegasi: die 8. ferè eadem hora cauda ejus sustendebat in Cœlo gradus plus minus 20. locum habuit in armo Pegasi: ex hac ergo observatione, quantum velociter moveatur, colligi potest. Venetiis observatus die 12. Aprilis, prope caput Andromedæ in gr. 9. circiter Arietis, sunt qui perdurasse tradunt ultra diem 22. postea radiis Solis tectus, amplius non est visus.

Hic Cometa non est idem cum primo Novembris, quamquam sint aliqui, qui hoc affirmare audent, nam ille proprio motu movebatur, ab Ortu in Occasum, hic verò ab Occasu in Ortum; si colorem respicimus, hic fuit longè clarior & splendidior illo, rubeus tamen observatus. Ille erat caudatus, caudam latam habens, hic verò strictam sursum tendens, & in medio ejus rubeus apparebat ensis, quod non solum Teloscopio, sed nudo oculo talis conspiciebatur; amplius ille Januarii circa finem tardissimè movebatur, hic verò velociter; quomodo ergo hic potest esse idem cum primo?

De loco, in quo apparuit, ex observationibus diei 2. & 6. Aprilis, in Piscibus visum tradunt, sed circa dimidium Martii à multis visum non ignoramus. Non incœpit ergo in Piscibus, sed in Aquarii primo Decano ortus est, desinens in Tauro: æthereus fuit, non sublunaris.

Non mirandum ergo est de tot Cometarum apparitione, nam etiam sæculis præteritis multi appruerunt, & eodem tempore duo visi sunt, alius in Oriente, alius in Occasu: in annis

1.6.18.

1.6.18,1.6.19.quatuor observati sunt: nos autem Planetarum ferè omnium miram conjunctionem, mense Decembris & Januarii, causam reducimus: die 7. conjunctio Martis & Veneris: die 18. Jovis & Veneris: die 21. Saturni & Solis: die 24. Saturni & Mercurii: die 28. Solis & Mercurii: die 29. Jovis & Martis: die 7. Januarii, Jovis & Mercurii, & tandem die 16. Solis & Lunæ: hæque omnes fuerunt in Capricorno, quod est hercle mirum, & posteris annotatione dignum; sic in anno 1.6.82. mense Septembris die 15. erit Conjunctio Jovis ad Martem, die 22. Saturni ad Martem, & die 30. Octobris Saturni ad Jovem, omnesq; in Leone, ex quibus nova in Cœlo lumina expectare oportet, aliæque apparentiæ contingent.

Coronidis loco addo, quod circa finem mensis Februarii, Astrum Veneris tali auctum magnitudine fuit & tali splendore, ut deficiente Luna, aër clarus per totam noctem perdurabat, & magis lucidus, quam in crepusculo matutino. Subrancida non loquor: res ab omnibus observata, perduravit ferè usque ad Majum. Hinc Coronatum aliquando apparens (ut in Planetis observatur) Cœlo non admodum sereno existente, multi in errorem elapsi sunt, novum credentes Cometem, quod & ego nocte quâdam pro Crinito Cometâ habui, cum esset plus quam Luna auctum; cum ergo sic perpulchra apparuerit Veneris Stella, novum aliquod Astrum esset existimarunt aliqui, & fabula orta est Hebræos nunc expectare Messiham, quod quidem non est absque aliquâ ratione deductum; nam in libro Bamidbar, idest Numeri cap. 24. reperitur Prophetia Balaam filii Beor, quæ est talis. Herhenu uelò, nghata hassurenu uelò, carou darach Cochau mi ian Hiacobuecam sceuet mi Israel, umacaz paade Moau, uecarcar col bene sceth: hoc est: Videbo eum, sed non modò; intuebor illum, sed non prope: orietur Stella ex Jacob, & consurget virga de Israel, & percutiet Duces Moab, vastabitque omnes filios Seth. Quam quidem Prophetiam Hebræi, quid verè velit significare, nondum perceperunt.

 Multi-

Multiplicatio ergo Cometarum mala miseris mortalibus addet, nam hæc in signo humano pro certo apparuit, unde prælia multa & diuturna, quia signum est fixum, mortes inopinatas, Epidemiam, aëris commotiones cum ventis validis significat, maximè terris Aquario subjectis. Confundentur verò, aliquo pacto significata cum illis primis, maximè illa, quæ ad aërem spectant; circa verò alia magis validi erunt effectus, qui in multos annos quidem sunt duraturi: sed de Cometis satis superque.

Septima causa mutationis rerum inferiorum sunt Eclipses, in quas Ptolomæus causas constitutionum generalium rejicit: sed vir Sapiens nimium tribuit rebus, quæ super paucum tempus durationem habent; effectus enim Deliquii Solaris per duos circiter annos extenduntur, Lunaris verò per tres menses cum dimidio circiter. Sectæ ergo, & initia vel decrementa Regnorum, quomodo ex his oriri possunt? necesse est ergo credere, dari causas potentiores, ut sunt Conjunctiones & alia, de quibus supra diximus.

Verum tamen est, Eclipses quodammodo cæteras extimulare causas ad producendos effectus, quos & ipsæ significant; à Mundi ergo exordio fuisse Eclipses, nullus dubitare potest, nisi Astronomiæ ignarus: quando igitur prima fuit annotata, ejusque effectus, nulla vera extat memoria, cum multi multa dicant: quia verò Thales Milesius apud Græcos prædixit Eclipsin, inter miracula scribunt, & hanc, ut primam post Mundum conditum annotant. Ex ipsis verò magnæ mutationes in Mundo & calamitates subsecutæ sunt, & tunc effectus magis validi fuêre, quando eo tempore aut post, magnæ Planetarum conjunctiones contigerunt, imò maximi, quando antecessit Cometa, vel Eclipsim subsecutus est; hoc enim loco de Eclipsibus Solaribus magnis, sicque de Lunaribus intelligo, parvæ enim utriusque luminaris non multam vim habent.

Ex illâ

Ex illâ Eclipsi Thaletis regnante in Mediâ Astyage, multorum Regnorum in Asia mutationes secutæ sunt, & pauló post translatio Monarchiæ Medorum ad Persas per Cyrum.

Tempore, quo Xerxes navali prælio victus est à Themistocle, apparuit Cometa & Solis Magnum deliquium, die 19. Aprilis celebratum.

Initio belli Peloponnesiaci, Eclipsis pestem tam sævam attulit, ut corporis partes mortuis sponte paucis in diebus deciderent, eversæ postea sunt præcipuæ Urbes, & strages innumeræ secutæ sunt: sed de his multa in Historiis reperiuntur.

In aëre veró & tempestatibus variandis atque mutandis, notum est, quantum possint. In igneis signis si accidunt, magnos & diuturnos æstus excitant, aquas fluminum absumunt, maximè coadjuvante Saturni & Martis congressu: è contra in signis aqueis, imbrium frequentiam, exundationes & diluvia procreant; in aëreis ventos validos, siccitatem in terreis. Hinc Cardanus Aphor. Segm 7. Aphor. 52. inquit, cum multiplicantur Eclipses Magnæ, ut ab anno 1.5.39. ad annum 1.5.45. necessariò sterilitas succedit sequentibus annis, refrigeratur enim terra & exsiccatur: hinc Aphorismo antecedenti dixit: Eclipses Solis multum refrigerant. Ego autem in illa anni 1.6.54. die 12. Augusti, totum oppositum observavi: fuit enim in Cœli Medio in gr. 19.35'. Leonis cum assistentia Martis, Saturni & caudæ Draconis: die 11. talis fuit obscuratio mane, ut multi existimarint, Astronomos in errorem elapsos esse, totâque hac die pluit: die 12. ante Eclipsin pluit, sed parum postea serena luxit aura: fuit quidem magna, quia ex duodecim Disci Solaris partibus, novem circiter tegit Lunare corpus: sed tali insensibili obscuratione, quæ mutata est in vulgi derisum, dum Astrologi, Stellas primæ Magnitudinis apparere, & diem in tenebras mutandum, scribere sint ausi. Hoc die aliqui insani facti sunt. Terræmotus fuit in Monte Cassino,

& æstus magnus ortus est per multos dies perdurans. Die verò 27. fuit Eclipsis Lunæ, circa horam quartam noctis, & ante Solis ortum turbo Magnus, cum vento horribili, tonitruis, fulguribus & pluviâ, rure verò cum fulminibus & ventis, qui arbores vetustissimas explantaverunt.

Notat Rabbi Moyses in Aphor. particula 25. quod in Sicilia accidit Eclipsis Solis magna, & in illo anno mulieres, filios deformes & bicipites plurimos pepererè.

Qui ergo nascitur horâ Eclipsis à maleficis per conjunctionem afflictæ, aut paulò post moritur, aut non multum vivit: cæteri radii eorum, non tantum nocent, quantum conjunctio, & maximè, si fuerit partilis.

Læduntur ergo Adulti, si fuerit Eclipsis gradibus propinqua Ascendenti Nativitatis, nam in eodem gradu pauci inter vivos remanebunt, alios morti propinquos vidimus..

Civitates seu loca signo Eclipsis subjecta afficiuntur, maximè verò illa, quorum Ascendens proximum est gradibus Eclipsis, & tunc effectus decernitur validior: afficiuntur verò non solùm eadem signa subjecta, sed reliqua ejusdem Triplicitatis. Affici ego etiam observavi loca sub Quadratis: Sed in hoc post locum defectivum, Angulum succedentem considerare opus est..

Ab anno 1.6.65. usque ad 1.700. vix sex Solis Eclipses in nostro Hæmispherio conspicientur, inter quas magna Solis 1.6.66. die 1. Julii, hora 20.27'. post Meridiem in gr. 10.26. Cancri, & Luminaria à maleficis hostilibus radiis affliguntur. Maxima 1.6.84. die 12. Julii, hora 3.21. post Meridiem in gr. 20.49'. Cancri in octava mortis domo, cum Conjunctione Martis & Mercurii, cujus deplorabiles effectus usque ad 1.6.87. extenduntur. Civitates Cancro subjectæ validos experientur effectus, sed etiam ea sub Ariete mutationes & revolutiones expectent.

Anno

Anno 1.6.99. die 22. Septembris hora 3.24'. post Meridiem magnum erit deliquium in gr. 0.2'6. Libræ, cujus significata super Sacra & Pontificatum extenduntur; cum verò malefici in domibus Religionis partiliter opponantur, & Mars in Ascendente Romæ, non nisi mala parantur; sed omnia tandem felicissimum sortientur exitum, cum exaltatione Fidei Christi, pace & Jubilo credentium in ipso.

Sed quia tum in Conjunctionibus, Cometis vel Eclipsibus, de locis Signis Zodiaci subjectis locutus sum, Regiones & Urbes quasdam illis subjectas hoc loco annotabimus, ut posuerunt Astrologi; ego enim hac in re non omnia probo, quæ posuerunt illi, cum omnia nondum sim expertus, alibi forsan, Deo favente, de his dicemus.

Aries subjectas ex Regionibus habet Britanniam majorem, seu Angliam, Galliam, Germaniam, Sueviam, Silesiam superiorem, Poloniam minorem, Burgundiam superiorem, Basterniam, Syriam, Palæstinam. Ex Urbibus Neapolim, Capuam, Anconam, Ferrariam, Florentiam, Veronam, Bergamum, Lindaviam, Trajectum, Marsiliam, Brunsuicum, Epidaurum, Cracoviam, Augustam Cæsaream.

Taurus. Russiam albam, Poloniam majorem, Sueciæ partem septentrionalem, Hyberniam, nunc Irlandiam dictam, Lotharingiã, Campaniam Helvetiam, Rhetiam, Franconiam, Parthiam, Persiam, Cyclades Insulas, Cyprum & maritima Asiæ minoris loca. Ex Urbibus Bononiam, Senas, Mantuam, Tarentum, Panormum, Perusium, Parmam, Caput Histriæ, Brixiam, Tigurum, Lucernam, Nanceum, Metim, Herbipolim, Carolostadium, Lipsiam, Posnaniam, Gnesnam, Novogardiam.

Gemini. Sardiniam Longobardiæ partem, Flandriam, Brabantiam, Wittebergensem Ducatum, Hircaniam, Armeniam, Marianam, Cyreniacam, Marmaricam & Ægyptum inferiorem. Ex Urbibus Cordubam Hispaniæ, Viterbium, Cesenam, Turinum, Vercellas, Regium, Lovanium, Brugum Flandriæ,

 driæ,

driæ, Londinum, Moguntiam, Kitzingiam, Hasfordiam, Bambergam, Villacum, Noribergam.

CANCER. Scotiæ & Granatæ Regna, Burgundiæ Comitatum, Hollandiam, Selandiam, Prussiam, Numidiam, Africam, Bithyniam, Phrigiam, Colchidem, Carthaginem. Ex Urbibus: Constantinopolim, Tunetum, Venetias, Genuam, Lucam, Pisas, Mediolanum, Vincentiam, Bernam, Treverim, Eboracum, S. Andream, Lubetum, Magdeburgum, Witebergam, Gorlicium.

LEO. Galliam togatam, Alpes, Italiam, Siciliam, Apuliam, Bohemiæ Regnum, Turciæ partem, Æmiliam, Sabinam, Phæniciam, Chaldæam, Orchinam. Ex Urbibus: Damascum, Syracusas, Romam, Ravenam, Cremonam, Ulmam, Confluentiam, Pragam, Lintzium, Cremisium.

VIRGO. Achaiam, Græciam, Croatiam, Carinthiam, Arthesinam, Cretam Insulam, Rhodum, Athenienseem Ducatum, Galliæ Comatæ partem, Rheni partem, Silesiam inferiorem, Mesopotamiam, Babyloniam, Assyriam. Ex Urbibus: Corinthum, Novariam, Aretium, Cumas, Hierosolymam, Brundusium, Papiam, Siginam, Tolosam, Lugdunum, Lutetiam Parisiorum, Basilæam, Heidelbergam, Erphordiam, Uratislaviam.

LIBRA. Austriam, Alsatiam, Livoniam, Sabaudiam, Delphinatum, Thusciam, Bactrianam, Caspiam, Seres, Thebaidam, Oasim, Trogloditicam, Sundgaviam. Ex Urbibus: Olyssiponem, Arelatum, Caietam, Laudam, Suessam, Placentiam, Feldkirchium, Friburgum Brisgoiæ, Argentinam, Spiram, Francfordiam ad Mœnum, Halam Suevorum, Wimpinam, Heilbrunnam, Frisingam, Mospachium, Landshuttum, Viennam Austriæ, Antverpiam.

SCORPIUS. Norvegiam, Bavariam superiorem, Metagonitidem, Comagenam, Cappadociam, Dumæam, Mauritaniam, Regnum Fessanum, Getuliam, Cathaloniam. Ex Urbibus:

bus: Algeram, Valentiam Hispaniæ, Trapezuntum, Urbinum, Aquilegiam, Pistorium, Camerinum, Tarvisium, Patavium, Forum Julium, Messanam, Viennam, Aichstadium, Monacum, Gedanum, Francofurtum ad Viadrum.

SAGITTARIUS. Hispaniam, Dalmatiam, Sclavoniam, Ungariam, Moraviam, Misniam, Celticam, Thyrenniam, Arabiam felicem. Ex Urbibus: Toletum Hispaniæ, Volatenas, Mutinam, Narbonam, Avennionem, Coloniam Agrippinam, Studgardiam, Rotenburgum, Indeburgum, Budam, Caschoviam.

CAPRICORNUS. Macedoniam, Illyridem, Thraciam, Bossinam, Albaniam, Bulgariam, Græciam, Masoviam, Lituaniam, Saxoniam, Hassiam, Thuringiam, Marchiam Styriæ, Orchades Insulas, Indiam, Arianam, Gedrosiam. Ex Urbibus: Juliacum, Clevoniam, Bergam, Mechliniam, Gandavum, Oxoniam, Vilnam, Brandenburgum, Augustam Vindelicorum, Constantiam, Derthonam, Faventiam.

AQUARIUS. Amazoniam, Sarmatiam, Tartariam magnam, Walachiam, Russiam rubeam seu Moschoviam, Sueciæ Meridionalem partem, Westphaliam, Mosellanos, Pedemontium, Bavariæ partem, Æthiopiam, Oxianam, Sogdianam, Mediam, Arabiam desertam & Petræam, Daniam. Ex Urbibus: Hamburgum, Bremam, Montem Ferratum, Pisaurum, Tridentum, Salisburgum, Ingolstadium.

PISCES. Ciliciam, Calabriam, Portugalliam, Galitiam, Normandiam, Phasaniam, Nasamoniam Lybiæ, Garamantes, Lydiam, Pamphyliam, Ægyptum superiorem. Ex Urbibus: Alexandriam, Sibiliam sive Hispalim, Compostellam, Parentium, Rothomagum, Uvomartiam, Ratisbonam.

Sed hactenus de Fato, per causas Cœlestes satis abundè locuti sumus, nunc ex vi Numeri ipsum patefacere licet, quantum in Regnis & Rebuspublicis possit.

Plato in suis de Republicâ libris, horum motuum Cœlestium, ignarus, inquit, Rempublicam à se institutam sortiturã esse mutatio-

mutationem & exterminium, etsi sua documenta non mutaret; reduxit verò Rerumpublicarum mutationem ad Numerorum Harmoniam deficientem: deficit autem, quando discedimus ex quarta & quinta Numeri Nuptialis, qui à Monade incipit, & remanet Virgo Inviolabilis, & in latera distenditur proportione duplici, per numeros pares & impares, sic rectè fundata Respublica in longum protrahetur, usquequò manebunt Unitatis concentus, & est Quarta, & ex Monade ad Ternarium, & est Decimaquinta, sic ex concinnitate & inconcinnitate concentuum dependent mutationes, destructionesque Rerumpublicarum: hæc autem omnia à Numeris deducit Divinus Plato. Quod etiam perpulchrè ponit Doctor Rosales Hebræus in suo Fœtu Astrologico.

Haud aliter criticos, metuendaq; tempora secli
quodque habet Imperium: quibus alta è sede ruinam
aut lapsu antiquo discrimina magna minatur.
hinc cadere, hincque datis numeris. & tempore certo
collabi, sentitque sibi interiora moveri.
si forte ægrotans Regnum mutarier aptum est;
res sicut natura suas producere nata,
quatuor essendi cunctis sua tempora certo
constituit numero, queis primum robora sumit
principii in puncto, ad Natalis Thematis instar
crescit, tuncque datus, augmentumque accipit Astris;
Statque illo numero Stellæ, quem dirigit arcus
principii dominæ, ast tandem Fata *ultima tangit.*
Sic quoque in Imperiis statuuntur tempora: regnum
crescit & augmentum sumit, statque undique firmum,
finito at numero, ut sidus metitur Olympi
Natali in proprio, sic denique fine tenetur
declinare suo, seu res hac sorte creata;
haud erit æternum; nam nil sub Sole videmus

perpe-

perpetuum; Numerus cunctis dominatur ubique rebus, & Imperiis nullo discrimine fixus.

Si ergo videmus quibusdam annorum circuitibus Regna mutari, vel majus suscipere augmentum, vel ad nihilum redigi; hinc quidam Numeri enati sunt, quos vocant Cabalistæ Perfectos, qui quidem non tantum ab ipsis Regnis auspicantur, sed à numero Regnantium, vel Regimine illorum,

Nam Numerus virtute viget, vis conditur intus,
Nominibus sacris ignoto nomine plena.

Numeri autem Perfecti tres ab ipsis enumerantur, nempe. 6.28.4.96. ex quibus medio Aritmologiæ Scientificæ, vel Alghorismi Cossici ex ipsis deducuntur, tum Quadrati, tum Cubi, qui in mutationibus Regnorum mirabiliter inserviunt. Platoni autem familiares sunt, tum Quadratus, tum Cubus ex Duodecimo, quem ultimum Fatalem vocat.

Primus ergo Numerus non potest inservire durationi Imperiorum vel Rerumpublicarum, sed tantum Regibus & Regimini illorum, adjuvat enim Regna Tyrannis, unde ut plurimum (nisi alia sors succedat) miserè pereunt.

Quadratus à Sexto vitæ Regum infaustus, maximè si addatur radix, ut observatum est in Ludovico XIII. Galliarum Rege, qui anno ætatis 42. dies clausit.

Secundus Numerus Perfectus est 28. qui observatur tum in morbis, tum in ætatibus, quo tempore plerumque mutationes accidunt: pessimus autem est, cum vitam ut plurimum auferat; & ex hoc dependet magna Solis Revolutio, quæ hoc annorum numero perficitur: quadratus ergo, qui ex hoc deducitur, est 7.84. qui solet finem Regnis & Rebuspublicis afferre, vel mutationem & pericula magna. Si enim accipiatur hic numerus à Reforma-

tione Principum Venetorum, quæ fuit anno Christi 7.4 . inci-
det in annum 1.5.26.quo tempore fœdera Veneti inter Pontifi-
cem, Gallorum Regem & Henricum Angliæ Regem, cum Francisco Sfortia, contra Cæsarem inierunt, & cum hi Numeri non sic statim omnia agant, sed tempora tantum demonstrent, factum est paulo post, ut Veneti modò cum Pontifice, modò cum Gallis, cum Cæsare vel Hungaris, aliisque adhærescentes ansam porrexerint, ut suis fermè omnibus exuti, ad extremum exitum devenerint, quod in Historiis clarum est.

Tertius Numerus Perfectus est 496. qui proprius est mutationibus Rerumpublicarum. Hic numerus reperitur à fundatione Albæ, usque ad ejus destructionem, & Albanorum Reipublicæ exterminium, à Tullo Hostilio patratum: sic à primo Hebræorum Rege Saulo, usque ad ultimum Sedechiam, qui captivus factus fuit, cum primùm vidisset suorum populorum captivitatem & Reipublicæ ruinam: in hoc verò casu est quædam discrepantia annorum, quæ à Talmudistis annotatur, quidquid sit ex reditu Hebræorum, & reintegratione Reipublicæ sub Zorobabele, usque ad tempus, quo Herodes à Romano Senatu Rex nuncupatus est, hic numerus extat. Idem est à Siagrio ultimo Proconsule & Romanorum Vicario in Regno Galliæ, qui occisus est, usque ad Hugum Capetum, qui Rex factus fuit. Item ab Octaviano Augusto, usque ad Augustum minimum, qui Augustulus dictus fuit, occisus ab Odoacro Rege Herulorum, præcisus Numerus invenitur; sic à Constantino Magno, usque ad illum Constantium, qui à Mahumethe Turcarum Rege vitâ & regno spoliatus est.

Post hos Numeros præcipuos, sunt illi ex Climatericis, nempe Septenarius & Novenarius, postea Decas & Duodecimus; hi autem non tantum in Regnis ipsis, sed etiam in Regnatoribus observantur. Alexander enim Magnus post obtentam Monarchiam, regnavit annos septem, sic Status Atheniensis sub Typo Monarchiæ, à Septem Judicibus rectus fuit, uno

post

post alium Septennio gubernante. Joseph primus Dux ex domo David, annos septem rexit, sic Massos, Naum, Amos; Scirach quatuordecim, ut ex Philone colligitur. A fundatione Romæ, usque ad excidium, quod ab antiquis Gallis patratum est, sunt anni 3.64. qui sunt Septenarii integri, sic ab excidio Carthaginensi, usque ad illud Urbis sub Totilo Gothorum Rege, sunt anni 700. Insula Rhodus, anno Æræ Christianæ 6.35. à Muaviâ Ægypti Sultano Saraceno, instar turbinis cum suis populis occupatur, & sub ejus potestate fuit annos 6.72. in sequenti de eorum manibus erepta est. Religio Cruciferorum, quamvis ipsi dicant initium habuisse à Cyriaco Episcopo Hierosolymitano, qui ostendit Helenæ locum Crucis, alii à Cleto Pontifice Tertio, quidquid sit, ex Joannis Lucidi Samothei Chronologiâ annotatur expressè, hanc Religionem confirmatam fuisse (sic alias) circa annum 1.2.43. confirmator autem fuit INNOCENTIUS QUARTUS P.O.M. DE FAMILIA FLISCA. huic anno si addamus tempus destructionis, jussu Alexandri Septimi, in anno 1.6.56. emergent anni 4.13. qui sunt Septenarii Perfecti. A victoriâ Hebræorum contra Aman, usque ad illam Judæ Machabei, adversus Antiochum Syriæ Regem, sunt anni 3.43. qui est Cubus perfectus, utraque Victoria fuit die 13. Mensis Adar.

Observatum est hunc Cubum 3.43. renovare Regna Monarchis, quod autem hoc verum sit, nunc demonstrabo. Nulli dubium est, quod Ottomannus Auctor fuit Monarchiæ Ottomannicæ, accipiamus Epocham, incidentem in annum Christi 1.300. hæcque est Hægira Turcarum, addo huic Hægiræ Cubum 3.43. & fit numerus 1.6.43. quo tempore facta fuit illa Superiorum conjunctio in Piscibus, significans dilatationem Imperii, nonne paulò post incœpit incessans bellum contra Venetos, & 1.6.45. Caneam eripuerunt? à radice numeri 35. qui à Septimo componitur, quadratum fit 1.2.25. si huic addas annum fundationis Civitatis Venetiarum 4.20. resultat idem annus 1.6.45.

De Novenariis non desunt Exempla: à primo enim Venetorum Duce, qui fuit anno 6.97. usque ad reformationem (nam Tertius à populo occisus est, & institutus fuit Magistri Equitum Ordo, qui per quinquennium duravit) quæ fuit anno 7.42. sunt anni 45. qui sunt Novenarii; eodem anno 7.42. eligitur post mutationes iterum Dux Theodatus Hipatus Ursi filius, usque ad Petrum Candianum improbum hominem, qui Principatum in manifestam Tyrannidem vertere incipiens, anno Regiminis 24. à populo tumultuante, multis vulneribus confossus est simul cum parvo filio, & corpora exposita, ut à canibus lacerarentur, hoc fuit Imperante Othone Secundo, anno 9.76. & sunt anni ab utrâque mutatione 2.34. Rhodus ab Europæis Christianis de manu Saracenorum eripitur, anno 1.3.08. & traditur militibus sub ordine Joannitarum, sub Magistro velut Principe suo agentibus, à Mahometho verò, terrâ marique summis viribus oppugnatur 1.4.79. numerantur ergo inter raptum de manu Saracenorum & afflictionem Mahumethanorum anni 1.71 Hægira Ottomannica incœpta, anno 1.300. si ducatur ad tempus casus Bizantii in anno 1.4.53. emanabunt anni 1.53. à Bizantio capto ad Regnum Cypri 1.5.70. sunt anni ex Novenariis 1.17. Cyprus enim datus fuit sub tutelâ Venetorum, anno 1.4.88. & duravit sub eorum auspicio, annos circiter 81. qui erat 1.5.69. insidiæ à Selimo incœperunt & raptum est anno 1.5.70. qui fuit 81. cum dimidio, ut ex Historiis illius Regni colligitur: sub Henrico Dandulo Venetorum Duce, Creta data est à Bonifacio Montisferrati Principe, nam capto ab Occidentalibus Bizantio, cum à sociis ingens auri pondus Venetis deberetur, petente Balduino Novo Imperatore, & cæteris idem contendentibus, eam in solutum Reipublicæ dedit, anno Christi 1.2.04. cui si addamus annos ex Novenariis 4.41. incidet in annum amissionis Caneæ 1.6.45. item anno 1.5.37. Solimannus Classem maritimam Corcyram versus misit, & Barba rubea Cretam aggressus est (& tunc Veneti Victoriam consecuti sunt) huic anno si addamus 1.08. apparebit

bit idem annus amissionis Caneæ 1.6.45. Sultanus Hibraim, qui à populo fuit jugulatus 1.6.48. die Augusti 17. in ordine Ottomannorum est decimusoctavus.

Decas observatur modò prospera, modò ambigua, tum in ordine Regnantium, tum in annis Regiminum. Sic observatur ex Esaia; qui prædixit in Judæa novem Reges regnaturos, & quod decimus simul cum populo factus esset captivus, & tota Respublica destrueretur, quod evenit; sic observatur non tantum in Decade ipsâ, sed in compositione numerorum ex ipsâ. Trigesimus enim numerus ex Decade compositus est & fortis, maximè in Regnis, sic triginta fuêre Tyranni Galieni: multa colligi possunt ad hanc rem spectantia, tum ex Scriptura Sacra, tum ex Historiis; nam si consideramus à tempore Tabernaculi & Legis datæ, ad inchoatum Templum Salomonis; videbimus, quod Moyses præfuit annos 40. sic Othoniel. Aioth. 80. Delbora. 40. sic Gedon. Ahialon. 10. Sampson. 20. Hæli. 40. sic Samuel, Saul & David: reliqua ex Historiis colligi possunt. Observamus etiam, quod Ducatus Mediolani sub Domo Langleria, quæ est est Viscontium, duravit per annos 400. nam post mortem ultimi ex illâ domo descendentis, anno 1.4.48. facta est mutatio magna, & à populo tumultuante electi fuêre duodecim Senatores, & factus est Status Democraticus.

Numerus ultimus mutationum Rerumpublicarum, & ille Platonicus, ex Duodecimo, à quo deducto tum Quadrato, tum Cubo, non tantum simplicem mutationem; sed totalem annihilationem Dominia experiuntur. Sic Romana Monarchia, sub dominio Regum duravit per annos 1.44. qui est Quadratus ex duodecimo: Scio enim, quod hic Numerus non multum absit à Sectâ Lutheri, proinde mutationem expectet, maximè cum indicat sub Trigono, Fundationi Sectæ adverso. Crede mihi, quod NON PRÆTERIBIT HOC SÆCULUM, ABSQUE MUTATIONE AUT REFORMATIONE RELIGIONIS.

Emmanuel Boccaro, y Rosales, Lusitanus Hebræus, Vir insignis tum in Astronomiâ, tum in Cabalâ, in suo Fœtu Astrologico dicit hunc numerum 1.44. vocari Orbem Jovis, quo addito Caroli Quinti Nativitati producit 1.6.44. quo tempore fuit pax ficta in Imperio, & Suecus invasit Danum, qui illius pacis intercessor habebatur. Addit alibi, Austriacos passuros esse propter Ascendentes, qui ausi sunt facere bellum contra Pontificem.

Ego quidem fateor me nescire, quare talis numerus vocetus Orbis Jovis, quia omnes Orbes sunt æquales per annos 360. deinde ad quid ponitur nativitas Caroli Quinti? quia forsan ex illâ eventura in anno 1.6.44. scire poterant? miror tantum Virum hæc ridicula ponere.

Numerus talis sic deduci potest, addendo tempori Electionis quadratum, & resultabit annus 1.6.63. vel secundò, si respiciat bellum sacrum, incidet in annum 1.6.71. quod autem primum sit verum, observetur subtilitas nostra.

Numerus iste constat ex Radice Duodecimi; Radix autem Duodecimi ex Geometriâ est Trias, cujus Trinus est Sex, Quadratus, Novem, Pentagonus, Duodecim; in hoc numero Duodenario sunt omnes Numeri inservientes mutationibus Regnorum, de quibus supradixi, nempe. 6.7.9.10.12. ad hoc autem, ut vera fiat operatio, subtraho 12. ab anno 1.6.63. & remanet annus 1.6.51. Hoc anno incipit Revolutio Imperii, dum agitur de creatione Regis Romanorum. Addo radicem duodecimi, & fit annus 1.6.54. in quo moritur Rex Romanorum Ferdinandus. Accipio primum numerum mutationis, qui est dimidium Duodecimi, & addo 1.6.51. & fit 1.6.57. quo tempore moritur Imperator Ferdinandus. Addo Sexto Monadem, vel accipio secundum numerum mutationum, qui est Septimus, addendo 1.6.51. & resultat annus 1.6.58. in quo pro Electione Cæsaris, variæ fuêre revolutiones & implicationes; quidquid sit, electus est Leopoldus Primus, postea sequentibus annis, antequam impleretur numerus in anno 1.6.63. Turcæ Imperium perturbant, & non multum

tum

rum post Pax succedit, quæ non sine magnâ Principum admiratione per Orbem vulgatur.

Ex Duodecimo Cubus Fatalis extrahitur.1.7.28.qui reperitur completus à primo Rege Assyriorum Nino, usque ad ultimum Regem Persarum Darium, in pugnâ Arbelæ trucidatum. Idem invenitur à Diluvio usque ad destructionem Regni Judæ, & excidium Hierosolymæ & incendii Templi.

Notat Doctor Emmanuel Rosales hunc Cubicum 1.7.28. & dicit, quod Julius Cæsar fuit annis 63. ante Christum, si demas ab hoc numero hos annos, remanet 1.6.65. Epochæ Christi, tempus timendum pro præditione & Imperio.

Ego quidem me nescire fateor, Cæsarem fuisse antè Christum annos 63: differentia Chronologorum versatur circa duos vel tres annos, parum minusve; unde cum hæc opinio defendi non possit, Prognosticum ejus in anno 1.6.65.ex hoc numero deductum, erit falsum, ut nunc demonstrabo.

Cajus Julius Cæsar Dictator primam Dictaturam habuit, & unà Imperium arripuit, anno Urbis.7.06.qui erat primus prope finem Olympiadis. 1.83. ut notat Eusebius & Joannes Lucidus. Vixit autem Dictator perpetuus per triennium cum septem mensibus: conspiratione autem Bruti & Cassii, Idibus Martii, anno ætatis 56. gladiis confossus est, anno Urbis.709. cui deficiebat mensis unus, & dies quinque, quantum est à 15. Martii ad 20. Aprilis, quod est initium Urbis: anno 45. ante Christum, correxit Calendarium, & annotavit in eo unitatem Cycli Decemnovenalis, id est Aurei Numeri Calendis Januarii, & tunc fuit Luna prima eo anno, ut ex Supputatione Astronomicâ apparet, anno verò 44. ante Christum illa anni emendatio omnibus innotuit, & observari cœpit.

Natus est Christus Dominus, anno ab Urbe conditâ 7.52. & in illo ultimo anno deficiebant ferè quatuor menses, scilicet, quantum est à die 25. Decembris, quando natus est Salvator ad diē 20. Aprilis, quando incipiunt anni Urbis conditæ, & tunc erat annus

annus 42. Imperii Augusti. Videat nunc Doctor Rosales, an Cæsar fuerit ante Christum annos 63. nam nullam reperio Supputationem annorum, illius assertioni inservientem, nec est dicendum, quod, cum Hebræi duos habeant annos, Communem unum, habentem menses Lunares duodecim, Embolismicum alium, habentem tredecim, & quod aliud anni principium sit in æquinoctio vernali, aliud in autumnali, & cum Nisam, Sivam, Heu, Tisri, Seuet, sint menses pleni, nempe ex 30. diebus. Hiar, Temus, Helul, Teuet, Adar deficiant, cum constent diebus 29. (in Embolismico duo menses observantur sub nomine Adar, unus plenus, alter deficiens) Marchasuan verò & Chisleu, modò sunt pleni, modò deficientes; juxta hanc Hebræorum mensium supputationem nunquam excrescet numerus annorum, pariens annos 63. ad hoc ut Cæsar sit ante Christum. Quod autem ille dicit eventurum in anno 1.6.65. Ego dico, quod erit circiter 1.6.83. dico circiter, quia sunt numerandi menses deficientes ab anno nativitatis Christi cum illo, qui incœperat, quando Cæsar fuit creatus Dictator, sed, ô mirum! idem Cubus eodem anno incidit in Pontificium Dominium, nam subtracto tempore, quo Petrus Romam venit, & per 25. annos sedit, præcisus numerus invenitur,

Romaque sublimis peraget tum tristia Fata.

Extat liber novus Anonymi cujusdam Angli, Londini impressus, hoc portentoso titulo, *Roma Ruina Finalis* Anno Domini M. DC. LXVI. *Mundique Finis* sub XLV. *Post Annum*: cujus fundamentum non ex Numeris Platonicis vel Cabalisticis, sed ex Daniele & Joannis Apocalypsi, Vaticinium suum de Romæ exitio, hoc modo deducit: dicit ergo.

Lætus ille Dies jam elucescere incipit, quo Urbs ista supra dicta (videl. *Roma*) Civitas inquam illa magna, cui dominatio tamdiu super Reges Terræ, Urbium ulterius Domina, Nationum Regina atque Princeps, generis humani domitrix, universique

que Orbis Terrarum tandem desinet esse CAPUT. Jam vacillat mole citò ruitura suâ. TEMPUS enim MILLE scil. illi DUCENTI NONAGINTA DIES. Dan. XII. 11. Tempus tempora, & dimidium Temporis. Dan. VII. 25. & XII. 7. MENSES XLII. Apoc. XI. 2. Dies 1.2.60. Apoc. XI. 3. & tres illi DIES cum dimidio Apoc. XI. 9. 11. (quibus quidem singulis locis unum & idem Tempus, seu Annorum numerus designatur, MILLE scil. DUCENTI SEXAGINTA ANNI Diebus pro annis positis) Tempus inquam Antichristo concessum, ad tyrannidem furoremque suum in Christi sponsam Dei viventis Ecclesiam exercendum, fermè absumptum est.

His annis addit 406. alios, tempus scil. illud, quo Ecclesia Romana ex Draconis (cui tum HONORIO nomen) concessu, Innocentii Primi R.P. rogatu hianti, efflagitationeque eblandienti, Locorum prioritatem, suffragium & super omnes censuram, anno scil. ejus Creationis primo, à Christo verò nato 406. consecuta est &c. illis ergo annis supradictis scil 1.2.60. addit hos annos 406. ex quibus producitur (juxta ipsum) Fatalis Romæ annus 1.6.66. hæc ille. Sed videndum est Opusculum Viri eruditissimi Theophili Spizelii, cujus titulus: Examen Vaticinii cujusdam Anglicani de ultimo excidio Romæ Anno 1.6.66. Augustæ Vindelicorum impressum, in quo perpulchrè diluit argumenta hujus temerarii, erronei & scandalosi præsagii.

Romæ ergo (cui titulum fecerant Mysticæ Babylonis, non solùm Protestantium Theologi, sed etiam Pontificiorum, ipseque S. Hieronymus præf. in lib. Did. de Spir. S. scribit. Dum in Babylone versarer, & purpuratæ Meretricis essem colonus: Et cum Romæ esset ad Asellam, scripsit hoc modo. Ora autem, ut de Babylone Hierosolymam regrediar) finis expectandus est, quem, & multi bonæ conscientiæ, morumque integritate ornati viri,

ti viri, toto ex corde exoptant. Hinc Ribera apertè fassus est, Romam, hanc Urbem fornicariam, vastandam, & evertendam esse: sed quando? non est nostrum scire tempora & momenta quæ Pater posuit in suâ potestate.

Sed de Romæ ruinâ finali multi scripserunt, evanescente in risum vulgi eorum Prognostico, ut Martinus Horki in anno 1.6.33. & 1.6.34. expectabat, hoc adjecto versiculo:

Roma ruet flammis, Sanctos quæ ambusserat olim.

sic Hieronymus Vechietus lib. S. Chronol. M. ab anno 1.6.21. præcisè intra 1.26. annos, Romam destruendam esse scripsit: sed etiam Joachimus Abbas, *Petrum* senescentem rursum *Cingendum* tradidit; hic verò de futuris Pontificibus multa divinavit. Sed S. Malachias Archiepiscopus, Hyberniæ, Primus Prophetiam de futuris Pontificibus construxit, quæ à Cœlestino II. usque ad Alexandrum VII. comprobatâ veritate reperitur. Symbola Prophetica secuturorum Pontificum nunc annotabo. 1. Montium Custos, hic est Alexander VII. in cujus Insign sunt Montes. 2. Sydus Olerum. 3. de Flumine Magno. 4. Bellus insatiabilis. 5. Pœnitentia gloriosa. 6. Rastrum in portâ. 7. Flores circumdati. 8. de bonâ *Religione*. 9. Miles in bello. 10. Columna excelsa. 11. Animal rurale. 12. Rosa Umbriæ. 13. Ursus velox. 14. Peregrinus Apostol. 15. Aquila Rapax. 16. Canis & Coluber: 17. Vir Religiosus. 18. de Balneis Ethruriæ. 19. Crux de Cruce. 20 Lumen in Cœlo. 21. Ignis ardens. 22. Religio depopulata. 23. Fides intrepida. 24. Pastor Angelus. 25. Pastor & Nauta. 26. Flos Florum. 27. de medietate Lunæ. 28. de labore Solis. 29. Gloria Olyvæ. In Persecutione extrema S. R. E. sedebit Petrus II. Romanus, qui pascet oves in multis tribulationibus, quibus transactis Civitas Septicollis diruetur, & Judex tremendus judicabit populum suum.

Si ergu

Si ergo hæc vera sunt, ut à Cœlestino II. usque ad hunc Alexandrum experti sumus, etiam sequentia erunt vera: unde Romæ ultima clades non erit anno 1.6.66. ut iste falsò opinatur. Quot mala passa sit sæculis præteritis, Historiæ satis declarant: si ergo Roma destruetur, Papa forsan desinet esse, ut non amplius Christi Ecclesia vivat? non me hercle, ex ore enim solius veritatis constat hoc, Ero vobiscum usque ad consummationem seculi. Christi ergo Ecclesia non peribit. Vos vos Pontifices (sicut & alii Antecessores vestri) magna damna accipietis. Væ illi per quem scandalum venit, stat enim durissimum judicium iis, qui præsunt. Sic Christi sanguis, sic lex Divina humano concessa beneficio, ut per vos, per quos servari oves oporteret, laniantur, membraque illa Christi, sparso cruore, jacent deterius, quàm in Cruce. Ibi volens, & ab insciis, & multorum beneficio, paucis horis pendebat, vos hic discerptum tamdiu non restituitis? sic loquebatur Cardanus in Genesi Julii II. qui deteriores reliquit successores.

Sed ipse Princeps Dæmoniorum, ut apud Uvierum legitur lib. v. cap. 11. de Præstigiis Dæmonum, Rectoribus Ecclesiarum Epistolam misit, quæ reperta fuit in Authore vetere libelli de tribulationibus, & signis ruinæ Ecclesiæ hæc omnia comprobantem, estque ista:

Beelzebuz Princeps Dæmoniorum, & Dux tenebrarum cum Satellitibus suis, omnesque Tartareæ Potestates, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Præpositis, Prasbyteris, cæterisque Ecclesiarum Rectoribus, suis charissimis amicis, nunc & in ævum Tartareas salutes, & inviolatæ societatis fœdera, quæ dissolvi non possint in æternum.

Magna fiducia nobis est in amicitia vestra, amici charissimi, multum de vobis gratulamur, quia sentitis optimè nobis-

cum, & quæ nostra sunt, diligenter quæritis & procuratis, ubique tuendo atque fovendo, quidquid ad jus nostrum pertinere cognoscitis. Sciatis ergo Universitati nostræ vos multum esse acceptos, multaque gratiarum actione studia vestra prosequimur, eò quod infinitæ multitudines animarũ per ministerium vestrum, vitæ exemplum atque negligentiam, faciendi in populis opus Dei, à via veritatis abductæ & relictæ, quotidie nobis captivæ adducantur, unde & regni nostri potentia magnificè roboratur. Perseverate ergo tanquam fideles, & intimi nostri in amicitia nostra, per opus, quod cœpistis ac tenetis, quia profectò parati sumus pro his omnibus rependere vobis retributionem condignam & mercedem congruam, in inferioribus inferni. Valete, & salus nostra sit vobiscum in æternum.

Roma ergo immutationem expecta, morum enim tuorum tam fœda & flagitiosa est corruptio, ut quidquam dicere supervacaneum existimem, cum omnia nota sint apud omnes. Unde enim tot Hæreses, tot dissensiones in Ecclesia Dei ortæ sunt? nonne ex hac causa? In nimium namque fastigium Pontificia dignitas evecta est. Unitati, quæ arctissimè fovebatur in Ecclesia Dei (ut inquit Casaubonus in Baronium pag. 649.) successit hinc unius absoluta dominatio, illinc triste omnium mortalium servitium. Tu enim Papa, nec Deus es nec homo, quasi neuter & inter utrumque. Pontificatus enim, juxta Sanctum Bernardum, Ministerium est, non Dominium; administratio non possessio; pastoralis cura, non Monarchæ cujusdam Principibus terribilis Dictatura. Sic ergo scribit ad Eugenium suum lib. 2. cap. 6. Factum te superiorem dissimulare nequimus; sed enim ad quid, omnibus modis attendendum. *Non* enim ad *Dominandum* opinor, nam & Propheta, cum similiter levaretur, audivit: & evellas, & destruas, & dispergas, & dissipes, & ædifices, & plantes.

tes. Quid horum fastum sonat? rusticani magis sudoris schemate quodam, labor spiritualis expressus est. Et nos igitur, ut multum sentiamus de nobis, vel nobis impositum senserimus *Ministerium*, non *Dominium*. Non sum ego major Propheta, etsi forte par potestate, sed meritorum non est comparatio. Hoc loquere tibi & doce te ipsum, qui alios doces: postea addit; *Blanditur* Cathedra? Specula est; inde denique superintendis sonans tibi, Episcopi nomine non *Dominium*, sed *Officium*: deinde sequitur. *Esto*, ut alia quacunque ratione aurum & argentum tibi vindices; sed *Non Apostolico Iure*: nec enim tibi Petrus dare, quod non habuit, potuit. Quod habuit hoc dedit, sollicitudinem super Ecclesias. Nunquid dominationem? Audi ipsum. Non dominantes, ait, in Clero, sed forma facti gregis. Et ne dictum sola humilitate putes, non etiam veritate; vox Domini est in Evangelio: Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic. Planum est, Apostolis interdicitur Dominatus. I ergo tu, & tibi usurpare aude, aut dominans Apostolatum, aut Apostolicus dominatum.

Sed de *Fato* satis: quod quidem primum in Cœlo, in Homine, in Mundo, & tandem in Regnis, per Astra Numerosque adesse, non sine magno labore demonstravimus, restat solum hoc addere, quod, cum *Roma* sit Caput Mundi, sit etiam Nostri Operis finis, & quod de Ægypti ruina Trimegistus Hermes in Asclepio prædixit, idem Romæ secuturum nunc describamus.

Futurum tempus est, cum appareat Romanos incassum pia mente Divinitatem sedula Religione servasse, & omnis eorum sancta veneratio, in irritum casura frustrabitur. E terris enim ad Cœlum est recursura Divinitas, linquetur Roma,


terraque, quæ fuit Divinitatis Sedes, Religione viduata, Numinum præsentiâ destituetur. Alienigenis enim Regionem istam, terramque complentibus, non solum neglectus Religionum, sed, quod est durius, quasi de legibus, à Religione, pietate, cultuque divino statuetur, proscriptâ pœnâ, prohibitio. Tunc terra ista Sanctissima, sedes delubrorum atque Templorum, sepulchrum erit, mortuorumque plenissima. O Roma, Roma! Religionum tuarum sola supererunt verba, lapidibus incisa, tua pia facta narrantibus; & inhabitabit Romam barbarus populus, aut aliquis talis. Divinitas enim repetet Cœlum, deserti homines toti morientur, atque ita Roma, Deo & homine viduata, deseretur. Te verò appello, Tyberis flumen, tibique futura prædico, torrenti sanguine plenum ad ripas usque erumpes, undæque tuæ non solum polluentur sanguine, sed totæ rumpentur, & vivis multò major erit numerus sepultorum, superstes verò qui erit, lingua solâ cognoscetur Romanus, actibus verò videbitur alienus. Sed his amplius, multòque deterius. Ipsa Roma suadebitur imbueturque majoribus malis, quæ sancta quondam & Divinitatis amantissima, Deorum in terra Religionis suæ merito, sola seductio Sanctitatis & impietatis magistra, erit maximæ crudelitatis exemplum, & tunc tædio hominum, non admirandus videbitur mundus, neque adorandus. Hoc totum bonum, quo melius nec est, nec fuit, nec erit, quod videri possit, periclitabitur, eritque tædium omnibus, & per hoc contemnetur, nec diligetur totus hic Mundus, Dei opus immutabile, gloriosa constructio, bonum multiformi Imaginum varietate compositum, machina voluntatis Dei, in suo opere sine invidia suffragantis, omnium in unum, quæ honorari, laudari, amari denique à videntibus possunt, multiformis adunata congestio. Nam & tenebræ præponentur lumini, & mors vita melior

judica-

judicabitur, nemo suspiciet Cœlum, Religiosus pro insano, irreligiosus putabitur prudens, furiosus fortis; pro bono habebitur pessimus. Anima enim & omnia circum eam, quibus aut mortalis nata est, aut immortalitatem se consecuturam esse præsumit, non solum risus, sed etiam putabitur vanitas: sed mihi credite, etiam periculum capitale constituetur in eum, qui se mentis Religioni dederit. Nova constituentur jura, Lex nova, nihil sanctum, nihil Religiosum, nec Cœlo, nec Cœlestibus dignum audietur, aut mente credetur. Fit Deorum ab hominibus secessio dolenda, soli nocentes Angeli remanent, qui humanitati commixti, ad omnia audaciæ mala miseros, manu injecta, compellent ad bella, in rapinas, in fraudes, & in omnia, quæ sunt animarum naturæ contraria. Tunc nec terra constabit, nec navigabitur mare, nec Cœlum Astrorum cursibus, nec siderum cursus constabit in Cœlo. Omnis vox Divina necessaria taciturnitate mutescet, fructus terræ corrumpentur, nec fœcunda erit tellus, & aër iste mœsto tempore languescet. Hæc & talis senectus veniet Mundi, irreligio, & inordinatio, & irrationabilitas bonorum hominum. Cum hæc cuncta contigerint, tunc ille Dominus & Pater Deus primipotens, & unus gubernator Mundi, intuens in mores factaque voluntaria, voluntate sua, quæ est Dei benignitas, vitiis resistens, & corruptelæ omnium errorem revocans, malignitatem omnem vel alluvione diluens, vel igne consumens, vel morbis pestilentibus, ubique per diversa loca dispersis, finiens, ad antiquam faciem Mundum revocabit, ut & Mundus ipse adorandus videatur, & mutandus; & tanti operis effector & restitutor Deus, ab omnibus, qui tunc erunt, frequentibus laudum præconiis benedictionibusque celebretur, hæc enim Mundi genitura cunctarum reformatio rerum bonarum, & naturæ

turæ ipſius ſanctiſſima & religioſiſſima reſtitutio , peracto temporis curſu , quæ eſt , & fuit ſine initio ſempiterna.

Iamque opus exegi : quod nec Iovis ira, nec ignis,
nec poterit ferrum, nec edax abolere vetuſtas.
Cum volet illa dies, quæ nil niſi corporis hujus
jus habet, incerti ſpatium mihi finiat ævi :
Parte tamen meliore mei, ſuper alta perennis
Aſtra ferar : nomenque erit indelebile noſtrum,
Ore legar populi, perque omnia ſecula famâ,
Sicut habent viri Vatum præſagia, vivam.



CANTIO SACRA

AD

TRIUNUM JEHOVA.

HEU meæ quid agitis? forſitan otii epoto mero, fortaſſe torpido gravatæ ſomno, corporis ſopitis ſenſibus, quieſcitis potentiæ? ſurgite, ſurgite, jam dies eſt; abierunt tenebræ, Numen cum Lumine lucet per Orbem, ſurgite, ſurgite, jam tempus eſt. Scandite ſuperos, evolate ad choros, æthera ad rapidum, movete curſum, Empyreum petite, illic requieſcite parumper. Diſcite canere, deſcendite in Orbem, docete me, & puri Dæmones ſacris cum vocibus ſequantur vos. Haioth, Hecadoſch, Ophanim, Aralim, Hasmalim, Malachim, Seraphim,

Cherubim, Principatus, Archangeli & Issim, canite, magnificate Dominum, glorificate, collaudate Monadem cum Triade: Vos Zadhiel, Peliel, Metattron, Cerviel, Raziel, Zaphkiel, Uriel, Raphaël, Gabriel, Michaël, irrequietam præbete laudem Deo nostro. Resonent tubæ, ardeat ignis, spiret aër, fluat aqua, maneat terra, collaudent omnes Conditorem Orbis. Ipse enim Sanctus, pius & misericors, justus & vindex religiosè viventibus adveniens, suâ præsentiâ præbet auxilium, mentem radiis Divinitatis implet, excludens animæ nequitiam. Unus in omnibus, nunquam Otiosus, Triplex in Cœlo, versus in Monadem, Monas ubique, omnia producens. Sanctus cum piis, vindex cum impiis, Monas, Trias & omnia. Immanifestus, omnibus notus, invisibilis, ubique repertus, undique totus. Ævum circa ipsum, mundus in ævo, tempus in mundo. Ipse Tempus fecit, sed in ævo exstat: ipse condidit Mundum

sed

fed in Cœlo manet; ipſe creavit Cœlum, & habitat in Mundo.

Vivat ergo Deus Pater, vivat Deus Filius, vivat Deus Spiritus Sanctus; vivat Adonai Melech, cujus Malchuth permanet in ævo.

Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo.

FINIS.

